

4905 acheté à la bibliothèque d'Hazard
J.C



Monsieur Le Comte de Pontchartrain.

BREVIARIUM EQVESTRE,
SEU
De Illuſtriſſimo & Inclytiſſimo
EQVESTRI ORDINE ELEPHANTINO
Ejusq; Origine, progreſſu, ac ſplendore hodierno
TRACTATUS,
Collectus
Ex Antiqvis Diplomatibus, Bullis,
Numismatibus, Inſignibus,
Præcipuè autem
Ex poſthumo & manuſcripto
IVARI HERTZHOLMII
Codice,
In Epitomen redacto, variisq; Additamentis
ac Obſervationibus illuſtrato
& continuato

à

JANO BIRCHERODIO
Jani Fil.



HAVNIÆ, Ex Reg. Majeſt. & Univerſit. Typographéo,
Anno MDCCIV.

AUGUSTISSIMO ET POTENTISSIMO
MONARCHÆ

FRIDERICO
QVARTO,

REGI HÆREDITARIO
DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM
GOTHORUMQVE,
DUCI
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ
ET DITHMARSIÆ,
COMITI
IN OLDENBURG ET DELMENHORST
BREVIARIUM HOC EQVESTRE
SEV TRACTATUM DE
ILLUSTRISSIMO ET INCLYTISSIMO

ORDINE ELEPHANTINO

OB GLORIOSISSIMA DANORUM GESTA
IN ORIENTE
AB AUGUSTISSIMIS DANIÆ REGIBUS OLIM INSTITUTO,
ET
POTENTISSIMIS IN IMPERIO DANICO ANTECESSORIBUS
AVIS ATAVISQVE GESTATO,
SERENISSIMIS QVIBUSDAM REGIBUS EUROPÆIS
AC PRINCIPIBUS CELSISSIMIS
IN SYMBOLUM AMICITIÆ SÆPIUS DONATO,
NEC NON ILLUSTRISSIMIS PATRIÆ PROCERIBUS EXTERISQVE HEROIBUS IN MAGNANIMI PRETIUM COLLATO,
ATQVE IN SUMMO HONORE SEMPER HABITO MAXIMOQVE
SPLENDORE ET GLORIOSIS INCREMENTIS ADAUCTO,
BREVITER ET SUBMISSO CALAMO IN HOC LIBRO
DESCRIPTO
HUMILLIME OFFERT ET DEDICAT,
AC,
JUNCTIS OMNIUM IN BOREALI ORBE ORDINUM VOTIS

PRO REGE CLEMENTISSIMO

ET MAXIMO ORDINUM EQVESTRIUM
TAM ELEPHANTINI QVAM DANEBROGICI

DOMINO,

NEC

NEC NON ILLUSTRISSIMIS EQVITIBUS,

QVI

SACRAM REGIAM

MAJESTATEM

UT TERRESTRIA LUMINA IN SOLO CINGUNT,

VELUT STELLANTIA SIDERA CORUSCANTEM

IN COELO SOLEM,

PATRIÆ PATRI

OPTIMO, MITISSIMO

PERPETUUM IN OSTRO ET ORDINE ELEPHANTINO

SPLENDOREM,

PERENNES ET FELICES IMPERII GLORIOSISSIMI ANNOS,

VITAMQVE IN TERRIS LONGÆVAM

SUBMISSISSIME

EXOPTAT

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Devotiſſimus & ſubjectiſſimus

Subditus

Janus Bircherodius.

Præ-

Præfatio ad Lectorem




Inter *inclytissimos, qvi hodie in Europa eminent, Eqvestres Ordines qvin jure debitò numerari debeat Illustrissimus* Ordo Elephantinus *in Dania neminem dubitaturum esse confido; qvippe qvi splendidâ antiqvitatis & originis suæ gloriâ, nec non fulgido, qvo coruscat, splendore radiantes suos latè diffundit radios ac illustre jubar. Proximus Eqvestri* Ordini Elephantino, *maximo utpote & supremo, ac secundus inclarescit in Dania Nobilissimus* Ordo Eqvestris Danebrogicus *ob piam instituti rationem, atq; Excellentissimorum ejusdem Ordinis Eqvitum illustria nomina celebratissimus, nec non ab Augustissimo Monarcha CHRISTIANO V gloriosæ memoriæ restauratus ac splendidè adauctus. Uterq; Ordo Eqvestris ille velut* Magnanimi pretium, *hic ceu* Tessera fidelium *insigni se commendat antiqvitatis encomiô, sive utriusq; Ordinis insignia, sive primordia expendamus. Qvid enim benedicta cruce, qvam* Ordo Danebrogicus *refert, sanctius? qvid Elephanto, qvô* Elephantinus *fulget, laudabilius? cùm illa Coelo debeatur, hic in terra maximus, ac, teste Tulliô, nulla belluarum Elephantô sit prudentior. Illustris utriusq; origo illustria honoris incitamenta, & fulgida plurimarum Heröicarum virtutum ornamenta indicat.* Ordo Elephantinus *à bellicis Danorum expeditionibus contra Mauros ac Saracenos, durante bello sacro;* Danebrogicus *à gloriosis eorundem gestis in Livonia contra Livonos ad religionem Christianam conversos incunabula sua agnoscere censetur. Nobilissimum* Ordinem Eqvestrem Danebrogicum *doctissima Dissertatione Historicâ editâ Hafniæ an: 1676 laudabiliter ac eleganter descripsit incomparabile Universitatis Regiæ Hafniensis Lumen Nobilissimus ac Celeberrimus Doct.* Thomas Bartholinus *Senior. Qvibus nostrates inter de Illustrissimo* Ordine Eqvestri Elephantino *aliqvid commentari animus fuit, horum lucubrationes nondum divulgatæ fuerunt & editæ. Exteri Scriptores, qvi alios describendo Eqvestres Ordines, arreptâ occasione,* Ordinis Elephantini *mentionem qvoq; fecêre, numerô qvidem complures sunt; sed variorum variæ sunt ac discrepantes sententiæ, hìc partim discussæ ac ventilatæ. Eruditum de Regio* Ordine Elephantino *Tractatum breviter qvidem, sed ingeniosè conscripsit Doctissimus* Leonhardus Ludovicus Voigtius, *impressum Baruthi an: 1673; præcipua autem hausit ex MSSto* Ivari Hertzholmii *Codice, oblato Serenissimo & Celsissimo Saxoniæ Electori JOHANNI GEORGIO III* Ordinem Elephantinum *adepto, Hafniæ cùm esset an: 1663 nuptias cum Serenissima Principe Regia ANNA SOPHIA celebraturus, id qvod nec ipse Author in Tractatus sui ultima sectione diffitetur. Novissimè de* Ordine Elephantino *Ictopoymena sua Wittebergæ an: 1697 edidit Amplissimus* Val: Ern. Loescherus. *Inter Danos Tractatum de* Ordine Elephantino *pollicitus qvidem est Generosiss: & Nobilissimus* Petrus Resenius *Consiliarius Regius Status & Urbis Regiæ Hafniensis Præses*

atq;

atq; in Academia Regia Hafn: Professor Celeberrimus, sed, interveniente morte, promissis stare non potuit. Perelegantem de Nobilisſ: Ordine Elephantino in magnifica arce Regia Fridericiburgensi an: 1694. d. 4 Julii orationem habuit Excellentissimus Heros Dn: Marcus Giöe Eqves Auratus Ordinis Danebrogici, Consiliarius Intimus Regius, qvi sæpius etiam Amplisſ: Ivari Hertzholmii adduxit testimonia juxta MSStum Authoris ab eo visum atq; relectum. Illustrandæ qvippe Regii Ordinis Elephantini antiqvitati ac gloriæ maximam ac laudabilem impendit operam Nobilissimus ac Celeberrimus Vir Ivarus Hertzholmius J. V. Licentiatus, & in supremo Justitiæ, qvod in Norvegia est, Tribunali Assessor Regius, Avunculus meus Charissimus, cujus etiam MSStum exteris Scriptoribus notum est, citatúmq; à Doctissimo Elia Ashmole in Opere splendido de Aurea Periscelide, aliísq;. Optâssem sanè Amplissimum Virum potuisse ipsum conscriptis lucubrationibus ultimam addere manum, certâ spe fretus, eum pro vasto ac profundo, qvô pollebat, Antiqvitatum Danicarum penu erudito ac curioso Lectori meliùs satisfacturum fuisse. Præter alios enim ac eruditos Tractatus typis impressos, utpote 1. de Præcellentia Regni Daniæ & Norvegiæ. 2. Descriptionem Coronationis Augustissimi Monarchæ CHRISTIANI V gl: m: 3. Diatriben de successione foeminarum contra Gaudentium Paganinum. 4. Parerga de servitute personali & reali, reliqvit MSStum Opus in folio, in qvo sedulâ industriâ plurima non solùm de Illustrissimo Ordine Elephantino notatu digna, & ab aliis hactenus haud observata prolixè ac laboriosè concinnavit, sed luculentam itidem ac amplam omnium Ordinum Eqvestrium tam religiosorum, qvàm secularium descriptionem literîs operosè consignavit. Sed dolendum est, hoc MSStum ad optatum non perductum fuisse finem, ac multa, qvæ huc spectabant, documenta propter repentinum & inopinatum domûs illius Österisöensis incendium edacis ignis invidiâ partim consumpta esse, partim deperdita, ac, seqvente Amplissimi Viri morbô ac morte an: 1693, interrupta fuisse, schediasmata qvoq; varia distracta, nec non aliqvot Tabulas æri incisas pessundatas. Reliqvias posthumi Operis ac MSSti, ut & superstites Tabulas æneas recolligendas curavi, Tabulas restauratas ope Calcographi adauxi, MSStum utrumq; tam Latinum in folio, qvàm Danicum in 4to, & annexa Schediasmata opellâ meâ recognita & invicem collata in Breviarium hoc contraxi, additis hinc inde variis annotationibus meis ac additamentis qvibusdam, qvæ ad Historicam materiæ hujus continuationem illustrandam necessaria mihi videbantur, simul & Ordinis hujus splendidè ab Augustissimo Monarcha CHRISTIANO V gl:m: nuperrimè an: 1694 adaucti Statutis ac Eqvestris habitus ornamentis, aliisq; Dab: è Museo Gladsaxiensi Anno 1702 d. 16 Febr.

Janus Bircherodius.

CAP. I.



CAPUT I.

Summarium.

I. De Æde Honoris ac Virtutis, qvæ Romæ qvondam erat, & Cimbris olim in Italia dimicantibus. II. Exhibentur varia Romanorum Numismata Elephantis eorumq; proboscide signata in victoriæ memoriam contra Africanos. Romani olim Elephantos in vexillis habuerunt. III. Elephantinas statuas Romæ à Gothis erectas fuisse testatur Aurel. Cassiodorus. Cimbri iidem fuerunt ac Gothi, à qvibus Roma ipsa olim capta fuit. IV. De statua Naturæ apud Garimbertum Elephanto superstructa, ejusq; explicatione, nec non aliâ Elephantis statuâ Romæ visâ, ejusq; inscriptione. V. Ordinum Eqvestrium origo indicatur. VI. De Ordine Eqvestri Elephantino, ita ab Elephantino insigni vocato, in hoc Tractatu agitur. VII. De Elephanti variis nominibus apud Græcos, Hebræos, Arabes, Ægyptios, Romanos, à qvibus Elephas vocatus est Barrus, & Bos Lucas, nec non apud Mauros, à qvibus Elephas appellatus est Cæsar: De Cæsaris nominis origine à cæso Elephanto, ac moneta antiqvâ, qvæ Elephantum repræsentat, additâ inscriptione CÆSAR.

Sectio I.

Romanos bellô fortissimos, pace prudentissimos, structuros qvondam Romæ Sacellum HONORI sacratum, idem Templo VIRTUTI dicato ita proximè adjunxisse constat, ut si qvis HONORIS Ædem intrare voluisset, ei transeundum priùs fuisset per adyta VIRTUTIS. Ad gloriosa enim honoris fastigia neminem nisi per antecedentia virtutis vestigia ascendere debere, nec honorem ulli absq; virtute prævia attribuendum esse, verè, sed prudenter simul, sibi persvaserant. Atq; has Basilicas à Cajo Mario, Consule Romano, partâ olim à Romanis victoriâ, victisq; aliqvando Cimbris, gloriosè qvondam in Italia bellum gerentibus, HONORI ac VIRTUTI consecratas fuisse testantur Romanæ Historiæ Annales, uti patet ex hac inscriptione apud *Gruterum*, & *Petrum Felini* in libro, qvi inscribitur *Trattato delle cose maravigliose di Roma, pag. 301. Cap. 25.*

C. MARIUS. C. F. COS. VII.
PR. TR. PL. Q. AUGUR. etc.
DE MANUBIIS CIMBRICIS & THEUTONICIS
ÆDEM HONORI ET VIRTUTI VICTOR FECIT
VESTE TRIUMPHALI CALCEIS PUNICIS.


II.

Inter alia antiqva apud Romanos honoris & fortitudinis simulachra exhibet *Tabula I.* æri incisa, hic annexa, varia Romanarum Monetarum genera, in qvibus expeditiones eorum & triumphi de Africanis aut proboscide Elephantina, aut qvatuor Elephantibus triumphali eorum currui junctis designantur. *Tab. I. Num. 3. 4. 7. 8.* 9. 15. Elephantos etiam olim in vexillis Romanorum militaribus usitatos fuisse asserit *Hœpingius de Insignibus Cap. 17. Parag. 13. Pag. 877. Militaribus signis qvintæ legionis vexillis* Elephanti *adpingebantur, propterea qvòd C. Cæsare adversus Lucium Scipionem civili bello decertante, ea legio negotium sibi contra* Elephantos *dari postulavit, réq; strenuè gestâ, reliqvæ victoriæ occasionem præbuit, Alex. ab Alexandro Lib. 4. Cap. 2. Joh. Pierius Valer: Hieroglyph: pag. 17.* Et veluti Elephantos olim in vexillis ostentabant Romani, ita Scythas antiqvitùs proboscidem Elephantinam in Insignibus habuisse constat: *Tab. I. Num.* 2. Babylonios autem tres Elephantos totidem coronis insistentes in Insignibus suis qvondam exhibuisse affirmat *Silvester Petra Sancta in Tesseris Gentilitiis. Tab. I. Num. I.*

III.

Nec Gothis nostris, Romæ qvondam cùm essent, Elephantos fuisse ignotos inde probatur, qvòd publicô Theodorici Gothorum nostrorum Regis edictô mandatum fuerit, ut Elephanti, qvippe qvorum usus olim in præliis erat, in via sacra ex ære, naturali magnitudine, erigerentur, teste antiqvissimô Scriptore *Aureliô Cassiodoro*, qvi vixit seculô sextô circa an: 530, ac Theodorico Gothorum Regi à secretis & epistolis fuit, qvem *Trithemius de Scriptoribus* Ecclesiasticis Cancellarium Theodorici vocat. *Cassiodori* autem verba hæc sunt *in Libr. X. Variarum pag. 349. Epist. 30* ad Honorium Præfectum de signis æneorum Elephantorum. *Honorio Præfecto Theodoricus Rex. Relationis vestræ tenore comperimus in Via Sacra, qvam multis superstitionibus dicavit antiqvitas,* Elephantos *æneos vicinâ omni modo ruinâ titubare, & qvi solent in carnali substantia supra millenos annos vivere, occasum videantur proximum in simulachris æneis sustinere. His providentia vestra reddi faciat propriam longævitatem uncis ferreis hiantia membra solidando etc. Cutis Elephanti nullâ vi transmittitur, nullo ferri acumine penetratur. Ideóq; Persarum Reges hanc belluam ad bella traxerunt, qvæ & multis ictibus pul-*

1
Insigne Babÿloniorūm



2
Insigne Scÿtharūm




3
AFRICA




5

PONT. MAX.

6
Statua Romæ.



7
Triumphi in Africanos.



9
Triumphi in Africanos



8
Triumphi in Africanos



10



12



11





16.




14

13

15.







15.



Tab. I. pag. 2

pulsata cederet, & adversarios suâ mole terreret. Qvapropter habere eorum vel formas gratissimum est, ut, qvi vivam substantiam non viderunt, opinatum animal tali imaginatione cognoscant. Et ideo non patiaris perire etc. Gothos autem & Cimbros eosdem esse evidenter patet ex *Jornande de rebus Geticis Cap. 4. Wolfg. Lazio de migrat: Gent: Lib: 10. Isidor. Lib. 14. Cap. 4. Cl. Lyschandro in Histor. Dan. Lib. 5. pag. 50. Isaac. Pontan. Chorograph. Dan. Descriptione pag. 675* &, qvi crudite simul & studiosè plura congessit testimonia huc facientia, *Ivaro Hertzholmio in Præcellentia regni Daniæ Cap. III. Tit. V.* Hanc sententiam luculentô suô testimoniô confirmat Nobilissimus *Vitus Beringius in Floro Danico* nuperrimè impresso Othiniæ Anno 1698, qvippe qvi in Præfatione ejusdem Tractatus de Gothis ita loqvitur. *Non anxiè inqvirendum, ecqvam tanta virtus habuerit patriam; qvam primùm terram gens validissima vagitu presserit, cùm Cimbrorum profectò traducem aut tribulem esse certiùs aliqvanto constet, qvàm ut necesse sit ad vulgi credulitatem Historiæ nostræ fidem ablegare. Ex eadem nempe domo & tribu non Cimbri tantùm & Gothi, de qvibus nunc sermo, non Gepidæ tantùm & Longobardi, sed & Varii Vitæq; &, qvi hos longô intervallô excepêre, Normanni generis decora & incunabula arcessunt.* Etenim mutaverant qvidem nomen Majores nostri, &, qvi antea Cimbri, postea etiam Gothi audiebant; animus tamen, ac patria eadem utrisq; fuit. Hi qvippe è Dania sive Scandinavia qvondam egressi, atq; per Sarmatiam vagati in Dacia olim consederunt, ut asserunt *Jornandes Cap. 13. & seqv. W. Lazius Lib. 10.* Inde Romanum Imperium lacerare cœperunt, repressi interdum mágis, qvàm domiti, usq; qvò circa initia seculi V Italiam copiis dubium, an metu majori perculerunt, & postea Duce Alarico, Gothorum Rege, Romam ipsam aliqvandiu obsessam ceperunt Anno Christi 410 sive à clade Cimbrorum per Marium Consulem an. 511, testibus *Procopio in Histor. Vandal. Lib. 1. Socrat. Hist.* Eccles. *Libr. 7 Cap. 9. Micrælio in Syntag. Lib. 2 Sect. 4 pag. 421. Christ. Arslebio in Cimbria Romæ reconciliata Cap. 3 aliisq;.* Cimbri autem victi sunt à Cajo Mario an. 101. ante nativitatem Christi sive An. Mundi 3901 juxta calculum b. Parentis mei *Doct. Jani Bircherodii in Lumine Historiæ Sacræ Vet. & Novi Testam. edito Hafniæ 1687.*

IV.

Neq; tamen Romani illustri Elephantis insigni ac symbolo omnem virtutem in fortitudine positam voluêre, sed prudentiam Elephantinâ figurâ etiam intelligendam esse indigitârunt, atq; ita antiqvam illam, qvæ Romæ qvondam in Museo Garimberti recondita erat, *Naturæ* statuam Elephanto ut prudentissimo animali superstructam explicant curiosi antiqvitatum cultores, qvasi natura sine ratione nihil ageret, ac vana essent naturæ dona, qvæ prudentiam ut basin non agnoscunt. Exstat porrò Romæ eleganti inscriptione alia, in qva videntur variæ figuræ Hieroglyphicæ & Ægypti-

tiacæ, ſtatua fundata qvoq; Elephanto, & erecta à Papa Alexandro VII, qvâ Heroës & prudentiores etiam monentur ſummi ingenii eſſe, prudentiâ ac ratione bene uti, cujus Statuæ inſcriptio à me Romæ an. 1684 annotata hæc eſt. *Tab. I. Num.* 6.

SAPIENTIS ÆGYPTI
INSCULPTAS OBELISCO FIGURAS
AB ELEPHANTO
BELLUARUM FORTISSIMO
GESTARI QVISQVIS HIC VIDES,
DOCUMENTUM INTELLIGE
ROBUSTÆ MENTIS ESSE
SOLIDAM SAPIENTIAM SUSTINERE.

V.

Veluti ergo Reipublicæ intereſt, non minùs prudentes qvàm fortes fovere viros, ita honores & præmia non hiſce minùs qvàm illis deſtinanda eſſe circumſpectè providit Antiqvitas, imò juſſit rerum gerendarum prudentia. Æqvo igitur jure Dignitatem Eqveſtrem tam togæ, qvàm ſago factam demum fuiſſe utriusq; virtutis tam prudentiæ, qvàm fortitudinis teſſeram, Auratis Eqvitibus in ſocietatis Ordinem cum Principibus aſſumptis, inſtituta à Regibus & Principibus qvàm plurimorum Ordinum ſymbola evincunt. Hinc varii Eqveſtres Ordines conditi atq; incepti fuêre, & qvamvìs Scriptorum nonnulli, qvi de Ordinis Eqveſtris origine commentati ſunt, ulterius progrediantur; certiùs tamen & accuratiùs procedunt, qvi à Seculo poſt Chriſtum natum XI, qvô bella ſacra circa ejusdem exitum coeperunt, Eqveſtres Ordines ita propriè appellatos deducunt, eodem tempore, qvô GOTHOFREDUS BULLIONÆUS expeditionem ſacram pro recuperanda terra ſancta ſuſcepit, &, captâ Hieroſolymorum urbe, tandem etiam Rex primus Hieroſolymitanus factus eſt, habuitq; ſucceſſorem regni fratrem ſuum BALDVINUM, qvi ſecundus erat Rex Hieroſolymitanus circa initium ſeculi XII. Ao. 1102. Seculo deinde XII & poſtea variæ à Chriſtianis Regibus ac Principibus, erepta ac amiſſa terræ ſanctæ loca ac urbes recuperaturis, inſtitutæ ſunt contra Mauros & Saracenos expeditiones ſacræ, dictæ aliàs Cruciatæ: Videantur, ſi placet, *Thomas Fullerus de bello ſacrô, Maimburgius*, aliiq;. Per illa tempora & ſeqventia complures etiam variorum Ordinum Eqveſtrium creati ſunt Eqvites Cruciati, Torqvati, Aurati, teſte Ampliſſimo *Dr. Johann. Chriſt. Bechmanno* in Tractatu noviſſimè an. 1695 edito de Ord. Eqveſt. Johannitarum. *Cap. I.*

De horum Eqveſtrium Ordinum tam religioſorum, qvàm ſecularium origine, inſignibus, Legibus, Statutis ac mutationibus præter Celeberr. *Ivarum Hertzholmium* in poſthumo ac MSSto codice inprimis con-

consulantur *Bernhardus Justinianus in Hist: Chronol: omnium Ordinum Eqvestrium, Elias Ashmole, Aubertus Miræus, Franciscus Mennenius, Andr: Mendo in Disqvisitionibus de ord: Militar:, Andreas de la Rocqve,* nec non inter recentiores *Gustavus Adlerfeldt in Disqvis: de Ordinibus Eqvestribus Holmiæ 1696, Author Anonymus Tractatus Germanici de Ordinibus Eqvestr: Lipsiæ 1697, aliiq;.*

VI.

De illustrissimo autem & inclytissimo Elephantino Augustissimorum Regum Daniæ & Norvegiæ etc. Ordine, ejusq; vetustâ origine, propagatione, splendore hodierno, aliisq;, qvæ ad Historiam hujus Ordinis reqviruntur, in hoc tractatu paucis agitur, qvippe qvi eò magis illustrari meretur, qvò illustriores agnoscit natales, atq; inter Nobilissimos, qvos Europa jactat, Eqvestres Ordines gloriose suum effundit jubar ac splendorem. Elephantini Ordinis nomen ab Elephante suam traxisse originem notum est, qvippe qvem Eqvestris Symboli locô Illustrissimi hujus Ordinis Eqvites gestârunt ac retinuerunt, sicut Periscelidis, Aurei Velleris, aliisq; ordinibus itidem ab insignibus eadem adhæserunt nomina.

VII.

Græcum ἐλέφας unde dicatur, non eadem est Doctorum sententia. Nonnulli illud deducendum esse ab Hebræa voce אלפים existimant, alii à Chaldæorum פיל Phil, ubi additô articulô fit Dephil. Illud etiam Elephantis nomen Phil, jam inde à multis seculis toto Oriente receptum fuit, atq; ita Elephantum appellant Syri, Chaldæi, Arabes, Æpyptii ΔΕΛΦΙΝΟΣ, ita ex Arabico الفيل *Elphil, Elephas* à Cophtitis dictus est ἝΛΦΙΝΟΣ, videatur Doctiss: *Bochartus Lib: II. Cap. 23.* De aliis Elephanti nominibus non opus est hìc disserendô Lectorem detinere, qvod sc: Barrus pro Elephanto etiam usurpetur, unde ebur. *Sidonius Carm: 23.*

Non si qvas eboris trabes refractis
Rostris Marmarici dedêre Barri.

Ita à *Lucretio, & Seneca in Hippolyto, & Ausonio Epist. 15.* Elephantus Appellatus est Bos Luca

- - - Ut Lucas Boves
Olim resumpto præferoces prælio
Fugit Juventus Romula.

Sed hujus appellationis rationem reddit *Lipsius,* qvòd, qvemadmodum Struthionem passerem maritimum, Leones ursos Numidicos seu Lybicos, sic ex simplicitate Elephantos boves Lucas appellârint Romani,

mani, qvòd in Lucanis primùm eos viderant, *Turnebus Lib: 13. Advers:* sic dictos putat, qvòd majores & validiores qvadrupedum bobus Lucanis nescirent Romani. Vocis originem sic aperit *Plinius Lib: 8. Cap: 6. Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi Regis bellô, & boves Lucas appellavit in Lucanis visos An: Urbis CCCCLXXII.*

Sed ad ipsum Elephanti nomen ut redeam, unde Elephantinus Ordo appellatus est. Nec enim mirum est, Elephanti Symbolum ac nomen à Regibus Daniæ Augustissimis huic Ordini Elephantino cohonestando assumptum esse & additum, cùm summis virtutibus hoc nobile animal ab Antiqvis prædicetur, & qvòd maximè ad naturam humanam accedat fortitudine scilicet militari, prudentiâ, clementiâ aliisq; virtutibus. Regii etiam aliqvid Elephas designat, qvi priscâ Maurorum & Punicâ lingvâ Cæsar dicebatur, qvòd avus C. Cæsaris Elephantum occidisset, unde Cæsares postmodum omnes sic dictos vult *Alexander ab Alexandro, Lib: 1. 9.* Testes hìc adducam *Spartianum in Ælio Vero; Cæsarem ab Elephanto, qvi lingvâ Maurorum Cæsar dicitur, in prælio cæso eum, qvi primus sic appellatus est, doctissimi & eruditissimi viri putant dictum. Servium in Libris Æn: Cæsar vel, qvòd cæso matris ventre natus est, vel qvòd avus ejus in Africâ manu propriâ occidit Elephantem, qvi Cæsar dicitur Poenorum lingvâ.* Et à Cæsaribus nomen habuit Mauritania Cæsariensis, à qvâ rursus Cæsares Elephantes in ea nati. Elephantis enim maximè fertilem esse Mauritaniam vix qvisqvam est, qvi nesciat, teste *Strabone de Mauritaniæ descriptione Lib:* 17. & *Plinio Lib: 8. Cap. II. Elephantes fert Africa ultra Syrticas solitudines & in Mauritania.* Veluti ergo Maurorum lingvâ Elephas appellatus est Cæsar, sic etiam moneta antiqva exhibet figuram Elephantis cum inscriptione CÆSAR: vid: *Tab: I. Num.* 16. Sed evolutâ vocis Elephanti origine ac variis synonymis, afferenda jam est & asserenda Ordinis Elephantini origo.

CAPUT II.

I. Variæ variorum erroneæ de Ordinis Elephantini origine recensentur sententiæ, Josephi, Micheli, Mennenii, Hoepingii opinio de origine Ordinis tempore Regis Christiani IV. II. Seldeni & Imhofii sententia de ejusdem institutione à Rege Friderico II. III. Gregorii Leti error de Ordine Elephantino condito à FRIDERICO I. IV. Bernhardi Rebolledi opinio de Ordine instituto à Rege Johanne. V. Anshelmius, Alexander Rossæus, Ernestus Læscherus, aliiq; Ordinem à Rege Christiano I inceptum esse autumant. VI. Leonhardus Voigtius & Beckmannus ad tempus Canuti VI, & Cruciatas originem Ordinis referendam esse statuunt. Hæc ultima sententia de origine Ordinis ab expeditionibus Danorum sacris contra Mauros & Saracenos hìc approbatur.

Sect. I.

Sectio I.



Qvibus auspiciis Augustissimorum Regum Daniæ & Norvegiæ Eqvestris atq; inclytissimus Ordo Elephantinus à primâ suâ origine ad Regium & illustre, qvò hodie coruscat, pervenerit fastigium, cùm varii varia de hôc Ordine, & qvidem maximè inter se discrepantia, jam scriptis jam traditionibus prodidêre, operæ pretium erit, qvæ Heroicæ illius ætati apprimè convenerint, attentiori mentis scrutiniò expensa suo juri, splendori, pióq; instituto hic vindicare. Enim verò idem huic illustrissimo Ordini Elephantino, qvod aliis cœterorum Regum & Principum in Europa Eqvestribus accidisse Ordinibus notum est, non injustè conqveritur virtutis ædes, gloriam scilicet Ordinum videre, originem qværere. Ea qvippe interdum occurrunt antiqvissimarum rerum fata, ut, variis incidentibûs mutationibûs, jam nova videantur, qvæ tamen Majoribus prisca fuêre. Non minus de Aureæ Periscelidis, qvàm de Aurei Velleris origine dissentiunt inter se celebres ac eruditi Ordinum illorum Historici, *Bernhardo Giraldo* de Aurea Periscelide aliam fovente opinionem, qvàm *Cambdeno, Froissardo, Elia Ashmole, Seldeno* & novissimè *Thulemario in Dissert: de Ordine Eqv: S. Georgii.* Videatur, si placet, Dissertatio de Georgio Eqvite ac Martyre edita à Cl. *Conrado Frickio Lipsiæ 1693 sect: XXVII.* De Aurei Velleris auspiciis contra *Florentinum Hæræum, Andream Favinum, Sandovallium* aliósq; contendunt *Olivarius Mamercanus, Chaisnæus, Chifletius, aliíq;.* Qvando D. Michaelis Ordo inceperit, alia est sententia *Alexandri Rossæi,* alia *Nicolai Vignerii, Bodini, Mennenii,* aliorumq;.

Qvi Danos inter de Nobilissimo Ordine Elephantino aliqvid conscribere voluerunt, horum incepti Commentarii, mortuis eorundem Authoribus, sopiti ferè, ac disperditi intra privatos latuêre parietes, nec publicis huc usq; impressi fuêre typis. Exteri Scriptores, ut diversæ sunt gentis, ita diversas tenent sententias, aliis Illustrissimi hujus Ordinis originem ad tempora gloriosæ memoriæ Regum CHRISTIANI IV, FRIDERICI II, FRIDERICI I, CHRISTIANI III, aliis ad JOHANNIS & CHRISTIANI I tempora referentibus: Augustissimo Regi immortalis memoriæ CHRISTIANO IV hujus Ordinis primordia adscribenda esse censet Author qvidam Hispanicus *Joseph Micheli in Thesauro Militari de Cavalleria,* ubi ita: *En Reino de Dania es muy antiqva esta illustre milicia. El collares de oro entretexado de cruces Patriarchales colorades, y un Elephante pendente la Crux y imagen de ñuestia senniora en una essera solare, y debaxo una Medalle, qve tiene los tres clavos de Christo, con los qvales los calvados y Sacrilegos Judios de passaron manos y pies. Don por Autor y Fundator a Christiano IV, Emperador y Rey de a qvel Reino en defensa de la fe Catolica y consine de su Reino. Don este collar los Reyes de Danimarch los Cavalleros, son de numero determinado nimas nimenas, cosi tie-*

tienen la misma ceremonia en dar el collar, como la Orden del Tuſon. Sed hæc duo valdè ſunt contraria, qvæ hìc memorantur, qvòd hic ordo dicatur antiqvisſimus, cùm tamen Auguſtiſſimus glorioſæ memoriæ Rex CHRISTIANUS IV ejus Author & Conditor fuiſſe feratur; huic opinioni adſtipulantur etiam *Franciſcus Mennenius in Delic: Ord: Eqveſt: Hoepingius de Inſignibus.*

II.

Inter eos, qvi inclyti hujus Ordinis originem ad FRIDERICI II glorioſæ memoriæ Regis tempora referunt, *Seldenus* eſt, & *Jacobus Howel*, qvi Seldenum videtur ſecutus. *Seldeni* hæc ſunt verba in *Titulis Honorum: The arms of Dannemarck in Henninges and else where are inſcribed in a Collar made of Elephants, charged with Caſtels there to hanging our Lady in a radiant circle, and to that a little round with three nails. This is the Collar of their Order of the Elephant, begun very lately by one of their Kings, by whom certainly, I Know not: Some ſay by Fideriqve Father to the preſent Chriſtiern the IV. In ſome of his monies the Elephant is a note Royal.* Eidem ſententiæ accedit Amplisſ: *Imhofius* in *Notitia Procerum Imperialum: FRIDERICUS,* inqvit, *Ordinem Elephantinum inſtituit Anno 1580 d: 26 Junii, cùm filiola ejus Auguſta Sacro Baptismatis fonte, ſolenni Chriſtianis ritu, ablueretur, & Principibus præſentibus aureum torqvem cum Elephante dependente è puro auro & gemmis conflato donavit.*

III.

Ad tempora glorioſæ recordationis Regum CHRISTIANI III, & FRIDERICI I qvod attinet, reperio *Gregorium Letum in Ceremoniali ſuo Hiſtorico & Politico* varios commiſiſſe errores, ſtatuendò FRIDERICUM, I, Anno 1530 hunc fundâſſe Ordinem & CHRISTIANUM III Anno 1539, ſublatâ Mariæ Virginis imagine, hunc Ordinem mutâſſe. *Porta nel Europa il vanto di Glorioſisſimo* L'*Ordine de Cavalieri de gl' Elephanti in Danimarca, FRIDERICO detto il Pacifico ſi ſtima il ſuo Fundatore etc.*

IV.

Hiſce latiùs procedit Author qvidam Hiſpanicus *Bernhardus Comes de Rebolledo in L' Aula Selva,* attribuendo incunabula Ordinis Elephantini Sereniſſimo Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ Regi gl: mem: JOHANNI, cujus hæc ſunt verba:

Es

Es tradition, qve instituia, &c: JOHANNES
Ymitando los otros militantes
La Orden de la Virgen Maria
En qve d' una cadena d' Elephantes,
Qve de la castidad symbolo hazia,
El simulacro Virginal pendia.

V.

Ad Potentissimum gl: mem: ex stirpe Oldenburgica primum Regem Daniæ, Sveciæ ac Norvegiæ CHRISTIANUM I Ordinis Elephantini originem referendam esse statuit *P. Anshelmius in Palatio Honoris p. 2 Cap. 30. Christierne I dict le Riche Roy de Dannemarc de Svede & de Norvege, etc. institua l'Ordre de l'Elephant sous l'invocation de la Mere de Dieu: Les Chevalliers portent la chaisne d'or au col, au bout de la qvelle pend sur l'estomaqve un Elephant d'or emaillé de blanc, le dos chargé d'un Chasteau a'argent maconné de sable. Le premier Chapitre de cet Ordre de Dannemarck fut celebré en l'Eglise Metropolitaine de Lunden, l'une des principales villes de ce Royaume à la solennité du mariage de Jean fil de Christierne dict le Riche, avec la fille d'Ernest Duc de Saxe 1478. De puis ce temps la ceste Ordre a este conferé par les Rois de Dannemarc Successeurs de Christierne aux Princes & Senateurs du pais, seulement le jour de leur Couronnement.* Hanc sententiam tuetur qvoq; *Alexander Rossæus in Religion: Mundi; Johannes Boisseau in Promptuario Armoriali,* & præter complures alios Clariss: *Val: Ernestus Læscherus in Iclopoymenis Sect. XI. de* Ordine *Elephantinô,* i. e. Tractatu novissimè edito Wittebergæ Anno 1697.

VI.

Verum enim verò longè antiqviorem agnoscit originem illustrissimus, ac ipsâ sua vetustate nobilissimus Ordo Elephantinus, qva de causa ulteriùs procedit Doctisſimus *Leonhardus Ludovicus Voigtius* in Tractatu de Regio Ordine Elephantino edito Baruthi An. 1673, & longiùs petenda esse hujus Ordinis primordia rectè & rationi convenienter statuit & defendit. *Qvæ cum,* ait, *ita sint, Christianus I auspicia prima dare huic Ordini non potuit, eò qvòd nec ipse expeditioni sacræ unqvam interfuerit, nec gravioribus regnorum suorum negotiis distentus ad instantiam Imperatoris præsidio proficisci contra Turcam fuerit potis. Rectiùs multò sentiunt illi, qvi Canutum 6 Valdemari Magni è Sophia filium & Regni Successorem, qvi non modò Ptolomaidem Christianis restituerat, sed etiam ad arma barbaris Livonibus inferenda, laudatissimis Majorum vestigiis insistens, promptum se ac benevolum præstiterat, Elephantini Ordinis Conditorem constituunt.* Idem est judicium Celeberrimi ac Eruditissimi *D. Joh. Christ: Bechmanni in Syntagmate Dignitatum Illust: Dissert.* XIX *Sect:* XI *Lips: 1696: Eqvestris Ordo antiqvior in Dania est Ordo Elephan-*

tinus, Elephasq; cum Castello Clinodium Ordinis exornat, qvem tamen variis additamentis hodiernæ familiæ Oldenburgicæ Reges usq; ad Fridericum III auxerunt. Initia qvi ex antiqvitate repetunt, ex militia cruciata seu Sacris Danorum Expeditionibus in Palæstinam ea derivant.

Ab expeditionibus enim Danorum contra Mauros & Saracenos Ordinem Elephantinum suam olim traxisse originem vero videtur simillimum. Veluti enim Seculo XI, XII, & ea circiter tempora bella sacra cum Cruciatis contra nominis ac religionis Christianæ hostes gesta ac continuata sunt, ac plurimi alii iisdem temporibus instituti sunt Ordines Eqvestres, ita idem etiam de Elephantino, ut par est, Ordine censeri debet. Neq; enim Amplis: *Lœschen* arbitrio adhuc suffragari possum, dum *in Jctopoymenis de Ordine Elephantino Sect: 12* asserit, qvòd *nimio Antiqvitatis studio ultra terminos progrediantur, qvi à Seculo XI aut XII Origines Ordinis nostri arcessunt.* Proximè etenim ad veritatem accedere, certísq; hanc niti rationibus sententiam, discussis ventilatísq; priùs allegatorum Authorum sententiis, ac demonstratis eorundem testimoniorum erroribus, uberius deinceps enucleandum est.

CAPUT III.

I. Errores eorum deteguntur, qvi asserunt gl. mem: Christianum IV Regii hujus Ordinis fuisse Conditorem. II. Variæ elegantes Monetæ Christiani IV Elephantis fuerunt signatæ. III. Exhibetur Moneta Christiani IV cum Elephanto An: 1603 distributa Hamburgensibus, & Monetæ Hamburgenses cum folio urticæ, qvod Holsatiæ est insigne. IV Ordo Armati Brachii floruit in Dania, regnante Christ: IV. Ejusdem origo asseritur, figura adducitur & Eqvites recensentur. V. Ordo armati brachii postea additus fuit Ordini Elephantino, lateriq; Elephantis insertus.

Sectio I.

Qvemadmodum de variorum cæterorúmq; in Europa Ordinum Eqvestrium originibus, maximè antiqvorum, diversæ se offerunt Authorum sententiæ, obscurâ existente subditis, qvæ secreta est Regibus, Principibúsq;, negotiorum causâ; ita non idem omnes de primis Regii nostri Ordinis incunabulis sentire nuper accepimus. Illos autem, qvi Magnum & Potentissimum immortalis memoriæ Regem CHRISTIANUM IV Regii hujus Ordinis Auctorem statuunt, adeò aberrare ac præsumptâ opinione falli liqvidò patet, ut vix mereantur, qvibus contradicere convenit; meminisse tamen licet, qvorum ductu in illum inducti fuerint errorem. Causam illius assertionis

onis ab Orientali ad Indiam navigatione petendam esse arbitror, qvâ nostrates tempore memorati Augustissimi Regis gl. mem: Indias freqventare coeperunt: & qvemadmodum magnæ Britanniæ Serenis: Rex Carolus II monetam qvoq; cum Elephanto, ac regia sua effigie in maritimi ad Indiam cursus & classis ad illas oras appulsæ memoriam cudendam curavit, ita gl: m: CHRISTIANUS IV non modò novam Daniam qvæsivit, sed etiam ad Zeilon varias transmisit naves, qvæ dictæ erant Elephas, David, Hafnia, Christianus etc. Videatur Relatio Danica impressa Hafniæ An: 1620: in harum navigationum Orientalium signum ac memoriam variæ excusæ sunt monetæ Elephante insignes. Morem verò Augustissimo huic Regi non minùs, qvàm Patri illius fuisse, Elephante ut signo Ordinis non modò arma regni, sed monetas etiam regias insignire notissimum est. Ex *Hœpingio* de *Insignibus* innotescit, *Franciscum Bergium Mennenio* prædictæ sententiæ ansam dedisse, qvi in *Delic: Ord: Eqvest:* tradit factam sibi ab illo gl. m. CHRISTIANI IV aureorum nummorum copiam, in qvorum antica parte videre licet effigiem Regis cum hac inscriptione CHRISTIANUS IV etc.

II.

Harum monetarum, regnante gl. m. CHRISTIANO IV, ex auro & argento confectarum freqvens eqvidem exstat apparatus. Ita cusa est Anno 1597, i. e. Anno ætatis Regis CHRISTIANI IV vicesimo qvædam hujus generis moneta in natalem Regis, nati Anno 1577 d. 12 Aprilis in arce Regia Fridericiburgensi. In hac eàdem monetâ videtur turris cum militibus supra Elephantum.

Exstat alius elegans magni valoris nummus Anno 1598, continens à parte antica effigiem Regis regiò eqvitantis ornatu sub pretiosissimo velo, qvod à qvatuor Regni Senatoribus geritur cum inscriptione Regis, ejus Nativitatis An: 1577, electionis An: 1584, Coronationis 1596 & conjugii An: 1597, cum epiphonemate ad Regem *Vivat & Valeat*, à postica parte Symbolum Regis: *Regna Firmat Pietas*, & regni florentis imaginem, ubi Pietas & Pallas sub lilio florescente sibi invicem gratulantur, Hercule dormiente ad epigraphen: *Dormiat dum licet*: nec non integra regnorum insignia, velut in gyrum posita, varia emblemata, & elegantem hanc inscriptionem: *Nil salubrius Pallade Pietate instructa.* Videatur de hac moneta *Luckius in Sylloge Numismatum elegantiorum* p: 365. Aliæ occurrunt monetæ aureæ CHRISTIANI IV cusæ An: 1602, 1603, 1611, 1613, 1627, 1629, omnes Elephantino insigni insignes: de qvibus videatur, si placet, Nobilissimi ac Celeber: *Oligeri Jacobæi Musèum Regium edit. Hafn: 1696.*

III. Præ-

III.

Præter has aureas aliæ reperiuntur argenteæ monetæ, qvæ, Hamburgò ad obſeqvium Potentiſſimi Regis gl: m: CHRISTIANI IV redactò, freqventiùs conſpiciuntur. Ita Anno 1603 cuſa eſt moneta, in cujus anteriore parte videre licet militibus repletam turrim Elephanto cum Æthiope impoſitam; cujus alterum latus C. coronato inſignitur, cum hac Inſcriptione CHRISTIANUS IV D. G. & in poſteriore nummi parte. DAN. NORVEG. VAND. GOTHO: REX, VIII Solidi 1603.



Hic nummus liberalitate Regiâ populo Hamburgenſi diſtributus ac ſparſus eſt, cum Auguſtiſſimo Regi CHRISTIANO IV Senatus populusq; Hamburgenſis in curia urbis An. 1603 die 30 Octobris debitum præſtitiſſent homagium. Situm enim eſt Hamburgum in Ducatu Stormariæ, qvapropter etiam urticæ folium ut Holſatico Stormarienſe inſigne in variis monetis & uncialibus argenteis Hamburgenſibus adhuc conſpicitur. Et harum monetarum Hamburgenſium cum folio urticæ ſeries hìc collecta exhibetur in gratiam curioſi Lectoris. Vid: *Tab. II.*

Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Monetarum autem, tempore Potentisſimi Regis CHRISTIANI IV Elephantis inſignitarum, qvæ ſupra memoratæ ſunt, congeries monſtrat gratum eqvidem Regi fuiſſe, ornare regnorum inſignia Elephantò, glorioſâ utpote Eqveſtri teſſerâ, atq; Elephantum monetis Regiis tanqvam generoſum Eqveſtre Symbolum impreſſum fuiſſe, ſed inde elicere, CHRISTIANUM IV, qvia illius nummi Elephantes oſtendebant, fuiſſe primum Ordinis Elephantini Authorem, debilis eſt conſeqventia. Hoc vel inde probatur, qvod inter Regia Κειμήλια moneta aurea CHRISTIANI IV inveniatur An. 1592 cum Elephanto, idq; qvatuor annos ante coronatum Regem, qvæ demonſtrat, Rege nondum adultò, uſum Elephanti absq; omni dubio inde à Majoribus ipſi fuiſſe relictum. Hujus monetæ mentionem facit Nobiliſſ: *Oligerus Jacobæus* p. 78 *Tab.* XXI. No. I.

IV. De

Friderici REGIS Daniæ Solidi

Friderici Principis Holsatiæ Imperialis

Moneta Hambourgensis

Moneta Hambourgensis

Moneta Hambourgensis

Moneta Hambourgensis

Friderici REGIS Daniæ dimid: Sol:

Moneta Comitum Schawenburg

Moneta Hambourgensis

Tab: II pag 12

IV.

De cætero non hìc prætereundum esse censeo, regnante Augustissimo CHRISTIANO IV, conspecta fuisse duo Ordinum genera, alterum usitatô Elephantis charactere, alterum armatô brachiô, cujus idea hìc exhibetur.



Incepit verò militaris atq; Eqvestris Armati Brachii Ordo An. 1616 die 3 Decembris in memoriam expugnatæ An. 1611 Calmariæ, variorúmq; deinde, victis fugatisq; Svecis, reportatorum triumphorum, cujus Ordinis Eqvites Aurati declarati fuerunt Coldingæ hi seqventes magni nominis Proceres, cum pridie ibidem in freqventissimis comitiis feudo Ducatus Slesvicensis Celsissimum Holsato Gottorpiensem Ducem FRIDERICUM, datô fidelitatis homagiô, Potentissimus gl: mem:

Rex CHRISTIANUS IV investivisset, veluti etiam Annales Danici testantur FRIDERICUM II Regem gl: m: & Patrem gl: m: CHRISTIANI IV Danicô Ordine Elephantinô decorâsse An. 1580 varios Regni Primates, Principe Celsissimo Holsatiæ ADOLPHO Ducatum Slesvicensem in feudum ab Augustissimo Rege FRIDERICO II accipiente. Fusiùs de his *Encom: Regni Dan: Pag: 29, & Helwaderi Relat: Vernac: Hafniæ An: 1617 impressæ.* Qvi verò Brachii Armati Eqvites creati erant, hi recensentur. Dnus CHRISTIANUS FRIIS Dominus de Kragerup, Cancellarius Regis, Dnus GEORGIUS LUNGE, Regni Mareschallus, Gubernator Arcis Elsburgi & Præfectus Bahusii, Dnus ALBERTUS SCHEEL, Regni Thalassiarcha, Dnus BREDO RANDTZOW, Regni Senator, Dnus GERHARDUS RANTZOW, Regis Vicarius & Consiliarius in Holsatia, Dnus ANDREAS BILDE, Regni Senator, Dnus ANDREAS SAINCLAIR, Regis Senator & Præfectus Coroniæ, Dnus DITLEVUS RANTZOW, Dnus JANUS SPARRE, Dnus MARQVARDUS PENS, Dnus ULDERICUS SANDBERG, Dnus GEORGIUS SCHEEL. Horum illustrium qvorundam Eqvitum icones conspiciuntur in amplissima Regiæ Academiæ Hafniensis Bibliotheca, generosissimi utpote Dn: ANDREÆ BILDE, Regii Campo-Mareschalli, nec non Illustrissimi GEORGII SCHEEL, Regni Senatoris, è qvorum collis videmus dependere in cœrulea cinctura adamantibus pretiosum hoc ensiferum insigne.

V.

Hoc postea in Ordinis Elephantini κειμήλιον transiisse inde constat, qvòd Ordinis Elephantini Eqvites à latere Elephantis locô Regii nominis gestârint ensiferum Brachium, qvemadmodum adductô schemate *Tab: VIII* clariùs illustratur. Qvæ verò postmodum secutæ sunt mutationes hujus Ordinis, posthinc delineatæ reperiuntur inter alia exempla *Cap: XI Tab: VIII* qvinq; in formam crucis substitutis adamantibûs, qvorum singulis pia fuit meditatio singula in cruce pendentis Christi vulnera denotâsse, hoc recordationis cæteroqvin qvotidianæ permansuro argumentô, sc: immaculatum Jesum singula sua vulnera pro singulis hominum sensibus accepisse; & illum unicum esse cruci affixum, qvi absq; Sanctorum intercessione & meritis sustulit peccata mundi. Qvâ fide cum innutritus sit gl: m: CHRISTIANUS IV, nullam prorsus assertionis suæ rationem habent, qvi illum Ordinis Elephantini Auctorem statuunt, qvem ipsimet tradunt D. Mariæ Virgini qvondam fuisse consecratum: qvippe qvòd sibi invicem repugnat: Vigore enim Augustanæ & Orthodoxæ Confessionis ab omni abhorruit religioso Sanctorum cultu.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

I. Refutantur illorum opiniones, qvi statuunt Regem gl: m: FRIDERICUM II Ordinis Elephantini fuisse Authorem. FRIDERICUS II creatus est Eqves Aureæ Periscelidis: recensentur Reginæ Angliæ Elizabethæ Literæ. II. Seldenus redarguitur, qvi originem Ordinis refert ad FRIDERICUM II. III. Sed FRIDERICUS II Ordinem hunc restauravit. Variæ Ordinis figuræ ejusdem ætate usitatæ fuerunt. IV. Duce Holsatiæ Ducatum Slesvicensem feudi nomine accipiente varii creati sunt Eqvites Elephantini Henricus Rantzovius, Benedictus ab Alefeld An: 1580. V. FRIDERICUS II in coronatione sua varios constituit Eqvites. Solennes Ceremoniæ adhibitæ in creatione Eqvitum. Rebolledi censura propter Mariæ Virginis imaginem Ordini Elephantino ablatam refutatur.

Sectio I.



Nec minori religionis veræ ac Orthodoxæ zelò ac encomiò enituit Parens CHRISTIANI IV gl: m: FRIDERICUS II, unde etiam à Serenissimâ & prudentissima Angliæ Regina *Elizabetha* nominatus est PRINCEPS VERE CHRISTIANUS. Verba recitare licet ex MSS. Autographo in Bibliotheca Hattoniana. ELIZABETHA *Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Protectrix etc. Universis & singulis præsentes literas nostras visuris inspecturis & audituris salutem: Cùm Serenissimus Princeps, frater & consangvineus noster Charissimus Fridericus Dei Gratia Daniæ, Norvegiæ Vandalorum, Gothorumq; Rex, & plurimarum Heroicarum Virtutum splendore & gratiâ nobilitatus orbem Christianum famâ nominis sui impleverit, eáq; jam ante annos aliqvot animum nostrum accenderit, ut eam amicitiam in persona ejus melioribus, qvibus potuimus, officiis cultiorem redderemus, qvam hæreditariò qvodam jure sanctissimæ memoriæ nobilissimi Majores & Antecessores nostri nobis commendârunt, nullis autem officiis erga tam charum Principem satis facientes nobis, eum nuper elegerimus, conspirantibus omnibus omnium Commilitonum suffragiis, in illustrissimi Ordinis Garterii nobilissimam Societatem, qvi arctiori benevolentiæ vinculô, si fieri posset, eum in dies singulos nobis magis magisq; conjungeremus, utpote PRINCIPEM verè CHRISTIANUM, in cujus amicitia vel maximè cupimus conqviescere, summóq; desiderio aventes, ut, qvod non nisi auspicatissimè incepimus, ad optatum finem perducatur; Sciatis, qvòd nos de fidelitate, prudentia & diligentia prænobilis viri plurimùm nobis chari Dn: Peregrini, Domini*

de

de Willoughby & Ersby, & spectabilis viri Gilberti Dethisk, Eqvitis, Regis Armorum Ordinis, plurimùm confidentes ipsos nostros veros & indubitatos Ambasciatores, Procuratores & Oratores præsentes miserimus, dantes eis potestatem, authoritatem & mandatum speciale ad præfatum Fratrem & *consangvineum nostrum charissimum proficiscendi, eiq; deferendi & donandi nostro nomine & pro nobis subligaculum & trabeam et reliqva insignia illustrissimi Ordinis nostri Garterii, per ad præsens ad illum transmissa, cæteraq; peragendi qvàm officiosissimè & religiosissimè potuerunt, qvæ ad honoratissimi illius Ordinis decus & ornamentum qvoqvô modô putabunt pertinere, haud aliter, atq; ipsi faceremus, si præsentes essemus. In cujus rei testimonium has literas nostras manu nostrâ subscriptas sigillo dicti Ordinis Garterii communiri fecimus. Data è Regia nostra Grenevice 27 Junii Anno salutis humanæ supra millesimum, qvingentesimum octuagesimo secundo, Regni verò vicesimo qvarto:*

ELIZABETHA.

Hisce Serenissimæ ac optimæ Reginæ literis in Ordinem illustrissimæ aureæ Periscelidis adscitus Augustissimus gl: mem: FRIDERICUS II prædicto gloriosissimæ Reginæ Legato Dn. *Peregrino de Willoughby & Ersby* potestatem dedit, se absente, respondendi statutis, Legibus, & consvetudinibus, & in Castro Windsoriano, regio suo nomine, comparendi, instar Procuratoris Regis, salvâ tamen Regiâ Majestate, iisq;, qvæ non fuerint verbo divino, Legibusq; regni sui contraria. Qvod declaravit uberius solenni inter Reges & Principes usitato juramenti tenore per ipsius nobilissimum Procuratorem. Singulas literas in gratiam curiosi Lectoris recitare conveniens arbitror, easq; ex Codice MSS. in Bibliotheca Hattoniana hìc exhibere, unde simul constat gl: m: Serenissimum Regem zelô Augustanæ Confessionis semper arsisse, adeóq; Ordinis Elephantini, prout nonnulli conjectantur, nec primum fuisse nec esse potuisse Authorem, qvippe qvi præferret B: Mariæ Virginis imaginem ejusq; cultum religiosum:

Nos Fridericus summâ Dei benignitate Daniæ etc. Rex promittimus verbô Regiô fidémq; damus, sub honore nostro, sacrosanctis Evangeliis per nos impræsentiarum tactis, qvod fideliter ac verè pro viribus observabimus statuta Clarissimi Ordinis militaris in Anglia, qvi de prænobili atq; insigni subligaculo nomen accepit de Articulo in Articulum prout speciatim in libello statutorum ejusdem prænobilissimi Ordinis continentur, saltem qvatenus observari possunt ac debent, aut dummodo contrarii non fuerunt aut derogantes his, in qva jam ante nomen dedimus ac juravimus, & conditionibus aliis, de qvibus præconventum est, semper salvis. Exstant etiam alia, eaq; qvamplurima documenta, qvibus testatum omnibusq; notum esse voluit sincerum erga Orthodoxam religionem animum ac benovolentiam infensáq; sua contra abusus Papistarum studia. Perspectô itaq; ac satis supérq; cognitô Potentissimi Regis FRIDERICI II zelô contra illa, qvæ verbo divino & Augustanæ Confessioni contraria erant, liqvidò satis inde illucescit, nullâ ratio-

ratione Sereniſſimum Regem FRIDERICUM II primas dedicationis tabulas Regii hujus Ordinis Elephantini D. Virgini obtuliſſe, nec aliqvid commiſiſſe hac in parte, qvod Orthodoxæ fidei, cui ſincerâ addictus erat religione, adverſaretur.

II.

Miror eapropter, qvòd clarisſimus *Seldenus*, magnâ aliàs antiqvitatis cognitione celeberrimus, aliiq; illâ opinione duci voluerint, ut illos ſeqvuti ſint, qvi referunt FRIDERICUM II Authorem eſſe Ordinis Mariæ Virgini olim conſecrati, præſertim cùm inter exteros Scriptores Gallos, Hiſpanos, Germanos, Italos inveniantur alii, qvi prima hujus Ordinis auſpicia inde à prima ſua origine producere conati ſunt, referendo illa vel ad Regis *Johannis*, vel ad *Chriſtiani I* gl: m: tempora. Vacillat autem illa *Seldeni* ratio qvòd tradat variarum monetarum genera FRIDERICI II reperiri Elephantis ſignata; ſupra enim corruebat illorum ſententia, qvi conjectabantur CHRISTIANUM IV Authorem hujus Ordinis fuiſſe, eò qvòd monetæ illius & arma regia Elephantis inſignita fuerint. Qvæ eadem eſt argumenti hujus tenuitas, licèt non diffitear tempore gl: m: FRIDERICI II varias qvoq; illius monetas Annis 1580, 1581, 1582 cuſas Elephantibus qvoq; inſignitas fuiſſe: ſed debilis admodum eſt & inanis hæc perſvaſio qvia monetæ tempore illius Regis continent ſimulachra Elephantorum, ergo Rex ille Autor eſt Ordinis Elephantini. Largior uſum Ordinis Elephantini, regnante gl: m: FRIDERICO II, maximè in Dania floruiſſe ac viguiſſe. Sic etiam in Regia & magnifica arce Coroneburgenſi adhuc videre licet arma atq; inſignia Elephantis An: 1580 & 1585 Templi ſubſelliis & portis inſculpta; Imò etiam inveni apud *Mejerum* tempore gl: m: FRIDERICI II Anno 1581 inſignia Regni Daniæ in publicorum armorum pedamenta habuiſſe binos Elephantos, eâdem ferè figurâ, qva *Spenerus de inſignibus* gentilitia Illuſtriſſimæ *Gyldenlovianæ* ſtirpis arma ab Auguſtiſſimo Monarcha gl: m: CHRISTIANO V clementer conceſſa typis commendavit, qvæ etiam duos Elephantos qvaſi inſignium Telemones repræſentant. Non tamen inde concludere licet, vel gl: m: FRIDERICUM II, vel Auguſtiſſimum CHRISTIANUM V Ordinis hujus Elephantini fuiſſe Authorem, eò qvòd horum Regum temporibus uſu receptum fuerit publicò Elephantis monetas vel inſignia regia condecorare.



Insignia FRIDERICI II Regis Dan: & Norveg:

III.

Ordinem enim Elephantinum FRIDERICUS II gloriosæ memoriæ non primus instituit, ut novum, sed restauravit solùm, & insignia Ordinis, sublatâ superstitione & Mariæ effigie, mutavit, eámq; huic Ordini imposuit formam, ut locò B. Mariæ Virginis solus sub nominis & imaginis suæ charactere superesset Elephas, atq; hâc ratione, doctrinâ & erroribus Pontificiorum his oris penitus extrusis, decentem huic Ordini jam semisepulto fulgorem restituit, id qvod doctissimum *Seldenum*, *Imhofium*, aliósq; in hallucinationem ac errorem impulisse videtur. Torqvem aureum Ordinis Elephantini unicò solùm Elephantò tempore FRIDERICI II decoratum fuisse, neq; ejus ætate calcaribus intertextum, multò minùs Beatæ Mariæ Virginis imaginem adjectam fuisse, prout nonnulli autumant, res

nota

nota eſt & in antiqvitate Hiſtoriæ patriæ verſatis pervulgata. Tempori ea propter FRIDERICI II non convenit illa Ordinis Elephantini deſcriptio, qvam habet *Gothofredus Lib: 3 Arch: Inſignia Ordinis ſunt torqves Elephantis conſitus, qvi turres & arces dorſo gerunt cum calcaribus intertextis, infra habent imaginem Mariæ radiis circumdatæ, numisma aureum adhæret, in qvo 3 clavi ſculpti ſunt eos, qvibus Chriſtus cruci affixus fuit, repræſentantes*: Hæc enim inclyti hujus Ordinis ſymbola longè ante FRIDERICI II tempus viguiſſe ex ſeqventibus innoteſcet. Nummum eqvidem aureum cum tribus clavis additum fuiſſe inſigni Elephantino tempore FRIDERICI II obſervare licuit. Qvomodo autem gl: m: Rex FRIDERICUS II geſtavit eqveſtria Ordinis Elephantini inſignia, id luculenter ſatis monſtrat ſeqvens Tabula.



Depictæ qvoq; hic exhibentur Illuſtriſſ: Eqvitis Henr. Rantzowii imagines, qvæ formam Ordinis, qvæ diverſis temporibus ſolenni recepta erat uſu, declarant.

Aliæ





In utramq; effigiem ejusdem Herois ita Casp: Ens.

Hactenus armatum, jam me sculpsêre togatum,
Namq; annis habitus convenit ille meis,
Dum postrema mihi jam ferme vivitur ætas.
Arma Viros ornant: sed toga longa senes.

Alii qvoqve aliorum Eqvitum torqves monstrant nonnullos etiam Ordinis Elephantini insigne gestâsse in oblonga monetæ figurâ, qvemadmodum numi gl: m: FRIDERICI II ostendunt iconem Regis à priori parte & Elephantum à posteriori latere. Ita etiam JOHANNES gl: m: Rex Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ in lapide suo sepulchrali Otthoniæ repræsentatur. Inde ergo consvetudo obtinuit, ut, sicut nonnulli Reges figuram Elephanti in orbiculata moneta aureâ torqve portaverunt aureo, ita alii Elephantem cum orbiculo à latere Elephantis cum Regis nomine gestârint. Id qvod schemata Rantzowiorum, tempore gl: m: FRIDERICI II, & variorum Elephantini Ordinis Eqvitum, tempore CHRISTIANI IV gl: m: Regis, icones confirmant, de qvarum mutationibus infrà ulterius agetur.

IV. Qva



IV.

Qvâ verò folenni feftivitate FRIDERICUS II Anno 1580 Ordinem Danorum Elephantinum illuftribus fuis viris concefferit, eodem tempore, qvo Sereniffimus Dux Holfatiæ feudo Slesvicenfi ab Auguftiffimo Rege Othoniæ inveftiebatur, teftantur Holfatiæ Hiftorici, *Henricô Rantzowiô & Benedictô ab Alefeld* OrdineElephantino infignitis; Id latiùs explicat *Jonas Everwealt* de illuftri *Benedicto ab Alefeld. Anno 1580 d. 3 Maji facta eft Othoniæ collatio rerum feudalium, qvâ Dux Holfat: Adolphus Benedicto Alefeld Dno in Haffeldorph fuo nomine feuda contulit. Eodem tempore Benedictus ab Alefeld Bertrami filius, Dnus in Lemkulen, Steinbergæ Præfecturæ Adminiftrator & Confiliarius regius FRIDERICI II Regis Daniæ aulæ Marefchallus fuit, à qvo etiam Ordine Danicô aureô nimirum Elephante eo tempore donatus eft.* Porrò prædictus *Everwealt* mentionem facit illuftris Dni *Henrici Rantzovii: Dnus Henricus Rantzowius,* inqvit, *Dn. Johannis Eqvitis Aurati filius, Dn. in* Bredenburg, *Rantzovisholm, etc. Hic Regum Daniæ CHRISTIANI III, FRIDERICI II, & CHRISTIANI IV in Ducatibus Slesvici, Holfatiæ & Dithmarfiæ Vicarius, Confiliarius, & Segebergæ Præfecturæ per 30 annorum fpatium adminiftrator fuit. Expeditioni Dithmarfiæ interfuit, qvam fubjugatam inter Reges* Daniæ *& Holfatiæ Principes divifit.* Donatus eft etiam à FRIDERICO II D*aniæ Rege Ordine Danico aureo fcilicet Elephante cum turri.* Idem te-

ftatur

ſtatur *Angel: Struth in Chron: Holſatiæ, & Caſparus Lorchenſis in Comment: de bello Svecico, Michaël Bojemus in vita Alb:* II *Ducis Saxoniæ,* edente Celeber: *Schurtzfleiſchio,* & feſtivitatem hanc prolixiùs deſcribit Poëta *Joham: Seccervitius Lib:* 2. *Daneidum.* Qvapropter monetam illam auream, qvæ Elephantum & vexillum, in qvo inſigne Holſatiæ reperitur, continet, cuſam qvoq; fuiſſe nonnulli aſſerunt ; qvalis moneta in regiâ monetarum variarum FRIDERICI III gl: m: Regis Pinacothecâ aſſervata oſtendebatur.

V.

Aliàs conſtat FRIDERICUM II glorioſæ memoriæ Regem Anno 1559 die Coronationis ſuæ illuſtres aliqvot creâſſe Eqvites, qvos inter tres recenſet Nobiliſſ: *Reſenius* in *Chron.* FRIDERICI II, pag: 29 ſc. EILERUM HARDENBERG, VERNERUM PASBERG & NICOLAUM LANGE præter alios ad hunc Ordinis honorem deſtinatos, qvi ſe excusârunt. Octo autem Eqvites creatos fuiſſe teſtatur *Caſparus Ens in* FRIDERICI II *Coronatione. Qvibus finitis octo fortisſimos de patria bene meritos Viros Eqvitum Auratorum dignitate, ſolennibus adhibitis ceremoniis, condecoravit.*

Inter hæc ornamenta Elephantem fuiſſe diſtinctè non memoratur: videre tamen licet Regem in pectore geſtâſſe inſigne qvoddam ex collo pröeminens, qvali etiam decoratos cæteros Eqvites, qvos tum tempore coronationis ſuæ creavit, facilè dixeris; qvemadmodum præſens Tabula III deſignat, & modum creandi Eqvites illo tempore in templo D. Virginis, qvæ Hafniæ eſt, declarat. Fuêre autem *teſte Erasmo Reravio de coronatione* FRIDERICI II *impreſſa typis Hafniæ Anno 1576,* Eqvites creati Dnus EYLHARDUS HARDENBERG, Aulæ Magiſter, BYRGE TROLLE, ERICUS KRABBE, GEORGIUS LYCHE, HRRLOVIUS TROLLE, TAGO TOT, WERNERUS PASBERG, NICOLAUS LANGE.

Qvi autem humillimè ſe excusârunt, ne in Eqveſtrem Ordinem adſciſcerentur, qvi antea erat B: Mariæ Virginis nomine Romano Catholicus, Regiq; propter oblatum honorem gratias ſubmiſſè egerunt, fuerunt hi ſeqventes: OLIGERUS ROSENCRANTZ; CORNIFICIUS ULFELD, JANUS TRUDSON ULFSTAND, FRANCISCUS BROCHENHUUS, ERICUS RUD, JACOBUS BROCHENHUUS, LAGO ULFSTAND, OTTHO BRAHE, ALBERTUS SCHEEL.

De

De ritu & Ceremoniis creandi Eqvitem porrò *Reravius.*

Med disse Riddere gik det saa til/
Som jeg nu sige og opregne vil.
Vor Konge hand sad (som før er sagt)
Paa Stolen med Gylden-Stykke belagt/
De komme saa frem til Hannem dere
Saa mange/ som monne annamme den Ære/
Een efter den anden med Høviskligheb
Og fulde paa Knæ for Kongen strax need.
Den Højbaarne Herre sit Sværd uddrog/
Og hver med Fladen tre Slag Hand Slog
Paa venstre Axel/ de strax opstod/
Beviste derfor den Herre saa god
Taknemmelighed med Ære og Tugt
Med stor Reverents og Høviskhed smugt.

Hæc *Reravii* verba metricò carmine uberiùs expoſuit *Hieronymus Oſius* Pöeta Laureatus CHRISTIANI IV gl: m: Regis *in Deſcriptione Coronationis* FRIDERICI II, ubi etiam cauſam, non genuinam tamen affert, cur reliqvi Regni Magnates Eqveſtribûs ornamentis donari recuſaverint.

Cum Rex ad Proceres, etc.
Fulmineò feriens ter lenius enſe ſiniſtrum
Hic humerum, Auratos Eqvites bis qvatuor illo
More creat veteri, qvi promanavit ab ævo, etc. Porrò
Qvatuor eſſe viros alios ſic ſponte volebat
Ornatos Eqvitum Auratorum nomine Rex tum,
Virtus qvos omnes generoſa, etc.
Hi ſibi delatum cuncti reverenter honorem
Detrectant, hæc ingenuam argumenta loqvuntur
Mentem, laudis opus qvondam contemnere laudem.

Qvomodo autem Auguſtisſimus Rex FRIDERICUS II. & Eqvites Aurati geſtârint hoc inſigne Elephantinum, id demonſtrant non modò variæ figuræ Ordinis illius ætate uſitatæ ſuprà allatæ, ſed etiam clypeus Regis FRIDERICI II Elephante, variisq; Symbolis Hieroglyphicis conſpicuus.

Hujus




Hujus verò Sereniſſimi Regis FRIDERICI II, aliorumq; Ordinis Elephantini Eqvitum icones nullibi indicant eos magis, qvàm unum geſſiſſe Elephantum, & loco B. Mariæ Virginis vel nihil, ut ex ipſo Regis inſigni illuceſcit, vel ipſius Regis effigiem & nomen, uti Eqvitum Auratorum inſignibus probatur, geſtâſſe, idq; à latere Elephantis.

VI.

Improbat eqvidem & iniqvâ ſugillatione factum hoc FRIDERICI II reprehendit Nobiliſſ. *Rebolledus* Hiſpaniæ Regis ad Regem Daniæ Legatus, ac juſtò durius in Danos invehitur, qvòd B. Genetricis imaginem Ordini Elephantino detraxerint, verba illius hæc ſunt:

Porqve



Louis de Chomond-Boudon Sculp. à Osterrusör.

Tab. II pag: 22.

Porqve la Novidad ſiempre triumphante
En ſiglo d' opiniones perturbado
La Cadena y la imagen a trocado
Por ſolo un Elephante,
Con tal zelo los Reyes
D' eſta Heroica familia
Dios las gracias davan
De las proſperidades, qve gozavan.

Ad hanc verò ineptam cavillationem facilis eſt reſponſio Auguſtiſſimos Daniæ Reges eâdem cum aliis Regibus ac Principibus gaudere libertate, vel minuendo, vel augendo, ſervatâ baſi, Ordinum ſuorum ſymbola mutandi. Nec convenienter ad rerum dignitatem hìc loqvitur *Rebolledus*, qvippe qvi nimiùm opinionibus ſuis deditus fuit hac in parte, dum factum hoc ſugillat, & Danos impietatis ac ingrati erga divina beneficia animi arguit, qvod Sereniſſimi noſtri Reges, B. Maria Virgine cæterisq; Symbolis excluſis, ſibi Elephantem unicè retinuerint.

Redditâ enim hiſce Borealibus Regnis Evangelii ac purioris doctrinæ luce, Reges noſtri Auguſtiſſimi veræ addicti fidei, ut omnem ſuperſtitionis fomitem exſtingverent, & Idololatricum Sanctorum cultum ſimul abolerent, imaginem D. Mariæ Virginis Ordini Elephantino detraxerunt, ſolô Chriſtô exiſtente humani generis Redemptore & Interceſſore; qvò pertinet numiſma Ordini Elephantino adjunctum, qvod tres illos clavos, qvibus Chriſtus cruci affixus fuit, continet. Beatiſſimæ verò Genetricis Sanctorumq; memoriam decenti ac juſtâ veneratione apud nos aliàs ſervari, non tamen divinô honore, ſacræ noſtræ Ædes ac publica ornamenta ſatis ſupérq; teſtantur.

CAPUT V.

I. Redarguitur Gregorii Letì opinio de origine Ordinis Elephantini tempore FRIDERICI I, & CHRISTIANI III. II. CHRISTIANUS III geſtavit torqvem aureum cum Delphino: Virtutes Delphini laudantur. Delphin dicitur Arabicè Dux, & amat ſuos foetus. III. Refellitur illorum opinio, qvi Johannis I Regis tempore Ordinem Elephantinum inſtitutum eſſe autumant. Adducitur effigies Eqvitis Elephantini Comitis de Reinden Anno 1494.

Sectio I.


d *Gregorii Leti* ſententiam qvod attinet, qvi ad Sereniſſimi FRIDERICI I gl: m: Regis tempora Ordinis Elephantini originem refert, non operoſi erimus in illa refutanda, cùm abundè ſatis illuceſcat tam ex dictis, qvàm dicendis, nec FRIDERICO I hujus Ordinis adſcribenda eſſe primordia,nec CHRISTIANO III ejusdem mutationem, adeò ut non mirum videatur tam illum, qvàm alios erráſſe Authorem inclyti hujus Ordinis nuncupaturos, qvia Noſtratum nemo hanc antea tractavit materiam: Obſervandum hìc nihilominus tamen eſt regnante gl: m: CHRISTIANO III nec Elephantinum inſigne, nec Ordinis Elephantini Symbola, poſtqvam ope B. *Martini Lutheri* vera Evangelii lux, levatô Pontificiorum errorum velô, Daniæ effulgere cæperat, adeò freqventer uſitata fuiſſe.

II.


d qvod vel inde evincitur, qvod varia antiqvæ cælaturæ exemplaria imaginis gl: m: CHRISTIANI III viderim; nullum verò hujus Regis effigiem repræſentáſſe cum aureo torqve & Elephanto, ſed cum aureo torqve, dependente Delphinô, manſvetiſſimo & velociſſimo inter aqvatilia animalia, unde prudentiſſimus Veſpaſianus ſymbolum ſuum FESTINA LENTE hieroglyphicè expresſurus, Delphinum complectentem anchoram numismatibus ſuis imprimi juſſit: hinc aptè *Alciatus in Emblematibus.*

Titanii qvoties conturbant æqvora fratres
Tum miſeros nautas anchora jacta juvat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutiùs ut posſit figier illa undis.
Qvàm decet hæc memores geſtare inſignia Reges
Anchora qvod nautis, ſe populo eſſe ſuo.

Hoc animal φιλάνθρωπον eſſe docent *Gellius* & *Plutarchus*, & propter magnam erga foetus ſuos amoris vehementiam laudat *Philoſtratus in vita Apollonii Lib: 2. Cap: 7.* κἂν τὰ ἐν τῇ θαλάττῃ σκοπῶμεν, τοὺς δὲ δελφῖνας οὐκ ἂν θαυμάσαιμεν, εἰ χρηστοὶ ὄντες φιλοτεκνοῦσι, etc: *Qvod ſi maritimas etiam belluas conſideremus, numqvid Delphinas admirabimur, qvi cùm benigni ſint, prolem ſuam amant.* Ex Arabico *Addamirii*, qvi vulgo *Damir* dicitur, volumine MSS de animalibus allegati à doctiſ: *Bocharto Lib: I. Cap: 7* conſtat Delphinum aràs vocari Ducem: *Delphin, qvi aliter dicitur Dux, & poſtqvam peperit, lactat catulos ſuos, qvi ſeqvuntur eum, qvocunq; proficiſcatur.* Veluti enim Delphin ut Dux animalium aqvatilium catulos ſuos impenſi-

us



heer dirck van leijn den heer tot hemen: 1494:
Tab: iv pag: 27

ùs amat, qvàm reliqvæ piſcium ſpecies, ac catuli illius ſeqvuntur illum, qvocunq; proficiſcatur; ita clementia Regis eſt amare ſubditos ſuos, & ſubditorum eſt officium ad Regis nutum præſtò eſſe, & legibus illius obedienter obſeqvi.

III.

Qvi ulteriùs procedunt a gl: m: Regum Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ JOHANNIS & CHRISTIANI I temporibus Elephantini Ordinis originem repetentes, unà cum *Anshelmio* eandem amplectuntur ſententiam, ſunt verò *Alexander Roſſæus*, *Andr. Favin*, *Johan: Boisſeau aliiq;*. *Anshelmii* verba ſupra *Cap: II* allegata legimus, qvibus tradit, celebrante Sereniſſimò noſtrò Rege JOHANNE nuptias cum Celsiſsima Principe Saxoniæ, filia Erneſti Marchionis Misniæ Elephantinum Ordinem formà unius Elephanti inſtitutum fuiſſe atq; geſtatum: ſed longè aliam antiqviſſimi Ordinis, qvatuor Elephantes continentem, figuram adversâ pagina apponit *Anshelmius*. Illuſtris Comes de Rebolledo Hiſpanus refert aureum eqveſtrem Sereniſſimi Regis JOHANNIS torqvem ex Elephantibus compoſitum fuiſſe, qvô autem numerò non determinat; cujus verba antea citata ſunt *Cap. II*: videntur idcirco *Rebolledus* & *Anshelmius* ſibi invicem contrarii, hic enim Ordinem hunc ob unius ſolùm, ille eum ob plurium Elephantorum teſſeram commendat. Sed antiqva illuſtriſſimi Ordinis Elephantini ſymbola critica accuratiùs conſideranti liqvidò patebit, torqvem illam auream qvatuor conſpicuam Elephantibus, qvam exhibet *Anshelmius*, ante hæc publica matrimonii auſpicia viguiſſe. Attulit ſecum in Daniam Nobiliſſ: *Klingenberg* Regius ad Hollandos Legatus curioſam, qvæ adhuc aſſervatur in Regio Cimeliarchio, imaginem illuſtris Domini de Reynden, qvi decoratus erat aureo torqve ex plurimis contexto Elephantibus. *Tab: IV.* Infra effigiem prædicti Eqvitis Aurati annus erat ſignatus 1494, qvi in tempora Auguſtiſſimi Regis JOHANNIS incidit. Qvod *Rebolledus* caſtitate Elephanti unicè perſvaſus fuerit ſtatuere JOHANNEM I hoc Eqveſtre diadema inſtituiſſe, id remotum arbitror; ſiqvidem Hieroglyphicum alicujus animalis peti debet ab Hieroglyphici primariâ notâ & apud gentes uſitata grataq; ſignificatione. Regem verò per Elephantem adumbrari ſæpius apud Scriptores repertum eſt. Per illum alias etiam virtutes deſignari *Horus Apollinaris*, *Ælianus*, aliiq; Scriptores commemorant: ad ſignum ergo caſtitatis ſolùm denotandum adhibitum fuiſſe Elephantinum inſigne non rectè conjicit *Rebolledus*; conſtat enim, nobiliſſ: *Huitfeldio* & *Pontano* teſtibûs, Elephantinum Ordinem Sereniſſimi Regis JOHANNIS ætate longè antiqviorem eſſe. Atq; ita ſimul illuceſcit, qvàm inconvenienter ab *Anshelmio* aſſeratur, CHRISTIANUM I inſtituiſſe hunc Ordinem tempore filii ſui Sereniſſimi JOHANNIS, & occaſione ejusdem connubii: duos præterea errores commiſit *Anshelmius*, primùm ſtatuendo gl: m: Regem JOHANNEM

NEM in Ecclesia Lundensi matrimonium suum inivisse, qvod, consentibûs Historicis nostris, horum partes agente *Meursio*, Hafniæ celebratum est: alter error hic est, qvòd hæc Eqvestria insignia an: 1478 primùm incepta fuisse referat. Qvod itidem pervetustæ Ordinis Elephantini antiqvitati repugnare, nec opinioni illius respondere calculum uberius ex seqventibus dispalescet. Qvomodo autem Serenissimus gl: m: JOHANNES Rex Daniæ Sveciæ ac Norvegiæ etc. aliàs gestaverit torqvem aureum, orbiculo formâ monetæ dependente cum icone Regis ab altero latere, demonstrat Tabula addita, qvæ Regis JOHANNIS effigiem exhibet, nec non Mausoléum ejusdem gloriosissimi Regis Othoniense.





CAPUT VI.

I. *Marchio Mantuanus creatus est Eqves Auratus Ordin: Elephantini Anno 1474 à Rege CHRISTIANO I. Philippus Bonus, qvi primus Aurei Velleris conditor fertur, An. 1430 seqvutus est institutum Regum Daniæ.* II. *Errant, qvi CHRISTIANUM I Româ reducem primò Ordinem Elephantinum instituisse statuunt. Ernesti Loescheri & Eliæ Ashmole sententia evertitur.* III. *Recitatur Owenii Bilde Epistola ad Cancellarium Joh. Frisium de origine Ordinis*

nis Elephant: tempore CHRISTIANI I. IV. Ejusdem Epistola hic refutatur, & contra Owenum Bilde aliosq; probatur Regio CHRISTIANI I Diplomate An: 1464, & literis Regis CHRISTIANI II, qvibus Erico Valkendorphio aureum Elephantem cum turri concessit in publicum insigne, nec non Pii II, & Sixti IV Pontificum Bullis, Ordinem Elephantinum longè ante CHRISTIANI I iter Romam fuisse in usu. V. Exhibentur aliæ ejusdem Sixti IV Bullæ de Statutis Ordinis Elephantini ab illo confirmatis, congregatione Eqvitum in Sacello Roeschildensi & Privilegiis Eqvitum Torqvatorum Ordinis Elephantini.

Sectio I.



Aureum Ordinis Elephantini torqvem Anno 1474 *Ludovico* Marchioni Mantuano collatum fuisse testatur Nobiliss: & illustris Danicæ Historiæ Scriptor *Hvitfeldius* in Chron: gloriosissimi Regis CHRISTIANI I, cujus authoritate & testimonio ducti nonnulli contendunt gl: m: CHRISTIANUM I inclyti hujus Ordinis primum Authorem fuisse. Qvod qvàm longè ab ipsa veritate & antiqvitatum nostrarum connexione differat, breviter hic ostendam, luculentis testimoniis ac argumentis illustrem Ordinis Elephantini antiqvitatem demonstraturus. Ad cujus illustrationem aptè loqvitur Clarissimus *Pontanus in Chorograph: Dan: pag: 769,* dum *Philippum Bonum* Anno 1430 hoc Danorum institutum creandi Eqvites seqvutum fuisse asserit, verba ejus hæc sunt. I*n Ordinem aureum hunc Auratorum Eqvitum allecti aureo nummo vel torqve aureo cum Elephanti simulachro castellum gestantis donantur, ita ut imâ torqvis parte Elephantus affabrè in eam speciem elaboratus dependeat, qvemadmodum in more positum est Burgundicæ domus Principibus Aureum Vellus Principibus à se creatis donare solitis, qvorum primus, qvi hoc institutum seqvutus fuit, Philippus Bonus celebratur.*

Dicam aliàs Clarissimo *Pontano* scribunt nonnulli scriptores, qvòd originem Ordinis Elephantini recentiorem esse asserat in Chorogr. Daniæ descriptione pag: citatâ. Sed probè observandum est, illum ibidem aliorum solùm proposuisse sententiam, non verò propriam, qvippe qvi publicè promisit, se luculentius edisserere atq; enarrare velle, qvæ apud Danos Elephanti donandi ratio fuerit, qvænam origo, atq; interea, qvæ literis de hac re ab aliis prodita erant, obiter solùm commemoravit. Nobilissimi autem *Hvitfeldii* verba, qvibus asserit aureum Elephantem illustrissimo Marchioni Mantuano ab Augustissimo Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ Rege CHRISTIANO I. concessum fuisse, ita jacent. Anno 1474 d. 13 Martii **kom Kongen til** Tarvisum, **der Hand kom til Hertugen af** Galeatzo **af Mejland hans Gebeet/ sendte hand udi Marken mod Kongen** 400 **Drenge til Foeds udi hvide Klæder/ og hver havde udi Haanden et lidet Bannere paa en lang Stang. Paa den eene Side var malet Kongens Vaaben/ paa den anden Si-**

de Hertugens/ de skulle undfange hannem med Feldt-Skrig/ forst raabte alle: *Christiano, Christiano de Dania* Derneſt Galeatzo, etc. Til Pavia laa hand een Nat/ og der slog Kongen to af Hertugens Herremænd til Riddere/ den 9 Maji Reed hand til Mantua/ der blev hand 6 Nætter/ Mar-Græven beviste Kongen stoor Ære/ Kongen slog to af hans Herremænd til Riddere/ og gav Mar-Græven sin Gyldene Flus Elephanten. Animadvertere oportet *Hvitfeldium* non hìc de Ordinis origine loqvi, ſed Hiſtoricâ tantùm fide teſtari, Ordinem Elephantinum a Rege CHRISTIANO I. Româ reduce datum eſſe Margravio Mantuano, qvippe qvi affinitatis vinculò per Barbaram Reginæ Dorotheæ germanam eidem Regi junctus erat.

II.

Immenſus tamen ille honor, qvem Romanus Pontifex *Sixtus* IV Auguſtiſſimo Regi CHRISTIANO I benignè præſtitit, anſam multis dedit ſtatuendi, prædictum gl: m: Regem à Papa Eqveſtrem hanc obtinuiſſe teſſeram, cum non ante iter ſuum Romam, qvemadmodum in reditu Româ Elephantinum Ordinem cuiqvam obtulerit; frivolè autem hæc afferuntur, non enim aliter factum eſt, qvia non aliter Regi Sereniſſimo placuit, nec placuit, qvia graviſſimæ obſtitêre rationes, qvo minus id fieri poſſet. Habet enim oblatio alicujus Principis teſſeræ non ſolùm hoc, qvòd teſtimonium ſecum afferat eximii honoris, ſed etiam firmiſſimæ amicitiæ, veluti in oratione ſua, *Suchotus* Imperatoris *Caroli V* Legatus Aureum Vellus CHRISTIANO II. Regi oblaturus congruenter locutus eſt. Sereniſſimum tamen gl: m: Regem CHRISTIANUM I. Româ reducem Ordinis Elephantini primum fuiſſe conditorem qvàm plurimi opinati ſunt, qvos inter Clariſſim: vir *Val. Erneſtus Loeſcherus in* Iε*topoymenis de Ordine Elephantino edit: Witteberga An*: 1697, *Sect*: XIII. *Suſpicio*, inqvit, *igitur legitima nobis eſt, &c, cui cum priſcis æqvè ac recentioribus auctoribus non male convenit, tempore* CHRISTIANI I. *Regum ex Oldenburgica gente primi Ordinem hunc excitatum: nam ab illo tempore Elephantis mentio apud Hiſtoricos fit, cùm antea Eqvitum Regiorum ſolùm mentionem faciant.* Sed fallitur profectò opinione ſua doctiſſimus hic vir, ſibiq; unà eàdemq; paginâ ipſe contradicit, qvippe qvi eadem Sectione XIII aſſerit Ordinem Elephantinum Ordine Aurei Velleris antiqviorem eſſe his verbis. *Iſtud eqvidem certum eſt, antiqviorem illum ſplendidiſſimo Aurei Velleris Ordine eſſe, cùm Philippum Bonum in inſtituendo illo Ordine Danorum Elephantinos Eqvites imitatum Pontanus Chorograph:* Dan: *pag: 769 aliiq; tradant.* Ordo autem Aurei Velleris inſtitutus eſt an: 1430 juxta plurimorum Auctorum calculum, & CHRISTIANUS I. gl: m: regnare cæpit Anno 1448. De illuſtriſſimo autem Ordine Elephantino ita loqvitur Celeberrimus & Doctiſſimus *Elias Ashmole* in elegantiſſimo opere de aurea Periſcelide in Anglia, qvi hanc qvoq; opinionem de origine Ordinis tempore CHRISTIANI I. fovere videtur,

fretus

fretus authoritate literarum Episcopi Arhusiensis *Owenii Bilde*, qvæ illi communicatæ erant à Generosissimo *Christophoro Lindenovio* Legato Augustis: Regis gl: m: CHRISTIANI V ad Regem Angliæ. Verba ejus de Ordine Elephantino hæc sunt: Observing some difference among Writers touching the institution, collar and ensign of this order, i was in doubt what to say, til at lenght i haply meet with better satisfaction from a letter wroten An. 1537 by Avo Bilde Biscop of Arhusen, sometime Chancellor to John King, Christian the Third, a copy whereof was most freely communicated to me by Monsieur Christopher Lindenow, Envoye from Christian the fift, now King of Dennemarch to his sacred Majesty the present Soveraign of the most noble Order of the Garter. This letter informs him of the institution and some other particulars relating tho the Order, to with; That King Christian the first beeng at Rome (wheter he had travelled upon a religious account) Pope Sixtus the fourth among other honors invested him with this Order in memory of the Passion of our Lord and Saviour, and withal Ordained that the dignity of the chief and supream should be continued, as a successive right to the succeding Kings of Denmarch. This King founded the magnificent Chappel of the Kings in the Cathedral Church at Roschilt (4 legves from Copenhagen) where the Knyghts where obliged to assemble upon the death of any of their fraternity. He also admitted there into divers Kings, Princes and Noblemen. The chief ensign of this Order was the figur of an Elephant, on whose side within a rundle was represented a Crown of Thorns with three nails all bloudy in honor and memory of the passion of our blessed Saviour. The Knights were obliged to the performance of acts of piety, alms, deeds and certain ceremonies, especially upon those days on which they wore the insigns of the Order. But King John set so high a valve upon it, that it became accepted by both our Kings, Henry the Eight and Jeams the fifth King of Scotland his sister son, with whom the ensings thereof remained, as a Pledge and assurence of constant, and perpetual friendship, with these he likewise invested divers Ambassadors, Senators, and nobles Danes. There is one Ivarus Hertzholm a learned Dane, as i am informed, who had written a particular Treatise of this Elephant Order, but not yet printed, the scope where of is to shew, that the before mentioned Epistle of the Biscop of Arhusen does not sufficiently make it appear, that it received its first institution, King Christian the first had those many honors conferred on him by Pope Sixtus the IV. And that the Badge was an ensign meerly military, anciently given as a memorial and incitament to the Danisch Princes, who took upon them the defence of Christianity against the Moors and Affricans. Thus greatly presumed, that this Book which we hope may shortly be published, wil furnish the world with many choise things relating to the antiqvity and honor of this institution ensigns and ceremonies of this Royal Order.

Hæc eadem inveniuntur in *Atlante Anglicano*.

III. Men-

III.

Mentionem hìc, suspensô tamen judiciô, fecit doctissimus *Ashmole* non solùm MSS Tractatus ab *Ivaro Hersholmio* conscripti, sed etiam Epistolæ Nob: *Ovenii Bilde* missæ ad Excellentissimum Serenissimi CHRISTIANI III. Cancellarium Dn: *Johannem Friis* An: 1537, qvâ mentem suam proponit de origine Ordinis Elephantini tempore Regis CHRISTIANI I. Memorati *Ovenii Bilde* epistola Latinè reddita hæc est.

Charissime Dne Cancellarie, admodum benevolè te certiorem reddimus, fratrem nostrum Æschium Bilde nobis ante aliqvot dies per literas indicâsse tuum desiderium, qvo à nobis informationem qværis, qvid de illo sodalitii ornamento s: insigni sentiamus, qvod Reges solent hìc in regno donare ac conferre, & an peculiaria aliqva regesta, vel literæ de eo relictæ extent, tam ut qvamcunq; notitiam ea de re haberemus, tibi communicaremus. Charissime Dne Cancellarie, à pueritia audivimus & intelleximus, qvòd, cum Christianus Senior Rex, cujus animæ, cum omnium fidelium animabus, Deus sit propitius & clemens, Romæ esset, inter alia varia & magna beneficia, qvæ Papa Sixtus hujus nominis IV præstitit & exhibuit prædicto Regi CHRISTIANO, obtulerit eidem, ejusq; successoribus Regibus Daniæ Ordinem in memoriam Passionis Domini Servatoris nostri: in hujus scilicet Ordinis gratiam CHRISTIANUS Rex instituit, fundavit, & fecit Christianam atq; insignem fundationem in templo Cathedrali Roeschildiæ & sacello suo, qvod nunc vocatur trium Regum, sive Regum sacellum, ut idem sc: Rex posset admittere in eundem Ordinem Principes ac Dominos, Eqvites & generosos viros, qvi nobili erant genere orti, & volebant in Ordinem adsciscí; & ut illi, qvi ejus Ordinis erant, tenerentur gestare illam sodalitatem ac tesseram, qvæ erat facta ad similitudinem Elephanti, unà cum corona spinea & tribus sangvineis clavis infra illam confraternitatem in honorem & memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi. Præterea concessit sc: Pontifex ei ac omnibus illis, qvi in Ordinem illum admissi sunt ac suscipere voluerunt prædictam societatem, notabiles ac singulares indulgentias, immunitates ac privilegia. Audivimus qvoq;, qvod omnes, qvi in Ordinem illum cooptari volebant, obstricti essent ad præstanda qvædam officia omnipotenti Deo, eleemosynas dandas, & preces in memoriam mortis ac dolorum Christi, nec non ad plures alios articulos servandos, qvorum recordari nunc non possumus, præsertim verò sodalitas sive tessera in Sacello prædicto Roeschildensi conservaretur ac restitueretur. Rex Johannes eqvidem prædictam Sodalitatem continenter usq; ad diem mortis suæ gestavit in omnibus solennitatibus ac conventibus, & in summo eam honore habuit, prout multis notum est. Admisit etiam idem Rex in eundem Ordinem ac fraternitatem Henricum Seniorem Angliæ Regem & Re-

Regem Scotiæ ſuum à ſorore Nepotem, & utriq; miſit prædictam teſſeram, qvi etiam eum Ordinem usq; ad obitum magnâ amicitiâ & benevolentiâ cum ipſo coluerunt. Hunc etiamOrdinem Rex JOHANNES dedit complurium Principum Legatis, qvos Eqvites creavit, ſicut etiam multis Regni Daniæ Senatoribus ac Nobilibus etc. Charisſime Dne Cancellarie Bullas ſive ſignatas literas, quæ de hoc Ordine & inſtituto editæ ſunt, inter regni literas inveniri credimus, niſi fortè Rex CHRISTIANVS II eas ſuſtulerit, aut evectæ aut amisſæ ſint in ultimo bello, qvod in regno geſtum eſt: ut de iis diligenter qværatur inter Capellæ prædicta monumenta & Archiva, an ipſæ, veræve ipſarum exemplaria ibidem inveniantur. De hoc *Owenio Bilde* teſtatur Danica noſtra Hiſtoria, qvòd ultimus Pontificiæ Religionis Epiſcopus fuerit, olim Regis JOHANNIS Cancellarius, & CHRISTIANO III perqvam dilectus: mortuus autem eſt An. 1555.

IV.

Non deſunt, qvi Nobiliſſimi *Bilde* traditione perſvaſi affirmant, ſe primam inclyti Ordinis Elephantini antiqvitatem in aciem hìc protuliſſe: Sed totò errant cælò, & qvàm ab ipſa Hiſtoriæ, & antiqvitatum veritate aliena ſit hæc plurimorum opinio, dilucidè infrà demonſtrabitur.

Qvò interim inſtitutò Romam profectus fuerit Potentisſimus trium regnorum Rex CHRISTIANUS I, dubia eſt variorum ſententia. Epiſcopus Lundenſis *Matthias* in MSS, qvod reperitur in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis, tradit hunc glorioſum Borealium Regem voviſſe, ſe S. Sepulchrum peregrè proficiscendo inviſurum eſſe, voti verò impotentem factum Romam tendiſſe, ut illô, qvod ob ætatis gravitatem & negotiorum multiplicem curam perſolvere minùs potuit, liberaretur. De hoc *Chriſtiani I* itinere *Chron: Oldenburgic: Chron: Mansfeldicum, Holſatic, Chron: Hvitfeldii, Crantzius in Hiſtor: Dan: Johannes Magnus in Hiſt: Svecor:, Hiſtor: Bononienſium Studio Æmilii, Felic: Faber in Hiſtor: Svevor: Lib: I. Cap. 9.* edente *Goldaſto* ita: *Chriſtianus Daniæ, Sveciæ, Norvegiæq; Rex, vir inprimis Chriſtianus, Anno Domini MCCCCLXXIIII Romam veniens, ſacro Cardinalium Senatu obviam prodeunte, à Sixto Pontifice mirô honore exceptus eſt, atq; roſam auream dono accepit. Igitur ut Jaſon ex Græcia pro aureo Vellere Colchidem, ſic is ex Norvegia Rex Romam proficiſcens, aureo munere onuſtus domum redut.* Idem ferè affirmant *Odoricus Reinaldus in Annal: Eccleſ:, Nauclerus,* qvi ita loqvitur. *Chriſtodorus* (ita enim vocant Chriſtianum) *inclytus Rex Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ, vir Chriſtianisſimus, Romam ſolvendi voti gratiâ pervenit An. 1474 etc. à Sixto Pontifice Maximo perbenignè exceptus eſt, ac pro ſingulari munere Roſa Aurea, qvam Pontifices ſingulis annis* Dominicâ *Lætare alicui ex Principibus Chriſtianis donare conſveverunt, à Papa donatus eſt. Chaisnæus* in Hiſtoria Paparum ita pag: 796. *Mais ce qv' il eut de plus remarqvable en tout le jubile, ce fut le nombre des Rois & grands Princes, qvi l' allerent eux mesmes gaigner. Car Chriſtierne Roy de Dannemarq; de Svede & de Norvege, le Roy de Bosſine*

 & Va-

& Valacke, Alfonce Duc de Calabrie se transporterent en personne a Rome ceste année la, tant par devotion & piete, qve pour salver & visiter le Pape Sixte, etc.

Hic Romæ cum esset gl: m: CHRISTIANUS I, tradit *Owenius Bilde* in novissimè allegata epistola Papam *Sixtum IV* inter alia multa & magna beneficia, qvibus CHRISTIANUM I affecit, dedisse ei, ejusq; successoribus Regibus Daniæ Ordinem in memoriam passionis Christi. Sed contra ipsam veritatem ac firmam antiqvissimorum Diplomatum fidem hoc statuit Dn. *Bilde*, longéq; avius à vera ratione vagatus est, & qvicunq; etiam illius sententiam seqvuntur.

Qvodcunq; enim probatur ipsius Regis CHRISTIANI I, ipsius Reginæ, Röeschildensium Archiepiscopi *Olai Martini*, Venerandi Röeschildensium Capituli, nec non Dn. *Jani Brun* Prioris Antvortschoviensium, *Torbiörni Bilde*, Dn. *Olai Lunges*, Dn. *Corwitz*, Dn. *Axelii Lagonis*, D. *Johannis Oxe* Eqvitum, & *Andreæ Jani* Judicis Priovincialis authenticis sigillis & secretis in usu exstitisse decem annos antè, qvàm CHRISTIANUS I Romam ad Sixtum IV Pontificem pervenerat, id non eô, qvo CHRISTIANUS I Romæ fuit, annô dici potest primùm incepisse. Hæc immotâ fide probari posse Bulla Regia CHRISTIANI I in Capitulo Roeschildensi qvondam reperta, & nunc in Archiva Regia translata evincit. Verba Regii Diplomatis, qvæ materiam præcipuè illustrant, hæc sunt.

J Navn Fader og Søns og den Hellig Aands Amen.

Vi Christiern med Guds Naade/ Dannemarkis/ Sverrigis/ Norgis/ Venders og Gotters Konning/ Hertug udi Slesvig/ Grefve udi Holstein og Stormarn/ Oldenborg og Delmenhorst; Giøre vitterligt alle/ som nu ere og kommende vorder/ at vi med vor kiære Huusfrue Dorothea af samme Naade Dronning udi Dannemark/ Sverrig og Norge etc / Højbaarne Førstis og Herris Margræfve Hansis af Brandenborg og Norderborgs Daatter etc / haver inderlig grandsket/ ofverv ejet/ og udi vore Hierter betenkt/ at thenne svigefulde Verden er meget Skrøbeligt/ falsk og snart forgengeligt/ og at inted forgængeligt Verdens Godts kand aflis/ ther Christen Menniske kand ydermeere komme til hielp til den Evindelige Salighed/ end den/ mand her i Verden Afler og i fri Velmagt giver i Almisse/ og Skikker til Guds Tienniste hannem til Lov/ hæder og Ære/ og sin Siel til Roe og Lise/ thi haver vi med fornefnde vor Kiære Huusfrue upladet bygge af nye et Capelle Synden op til Dom-Kirken i Roeskilde med 3 Altere og fuldkommet med Kalke/ Messe Klæder og andre Ornamenter, som ther tilhører/ den Hellige-Trefoldighed/ Jomfrue Mariæ, S. Annæ, S. Birgittæ, de Hellige 3 Konger / og alle Guds Helgene i Himmelen til Lof Hæder og Ære/ vore Forældre/ fremfarne og Efterkommere Konninger udi Dannemark/ vore kiere Børn med alle Christne Siæle til Roe og Liise

se. Og ville vi at i fornevnte Capelle skal skikkes og holdis Guds-Tieniste i alle Maader/som herefter følger/ etc. Item skal bethes i forbemælte Capelle og i fornevnte 4 Aars Tiider/ og Højtider for os/ vor kiære Huusfrue og Børn/ voris Forældre og Efterkommere/ for Konning Christopher/ Margræve Hans/ Hertug Allff/ og for alle dem/ som vort Selskab bære /og baaret haver/ og tha have med fornævnte vor kiære Huusfrue/ efter vort meenige Raads-Raad saa skikket / at naar nogen Døer og afgaaer/ som vor Selskab bær og baaret haver/ da skal fornævnte Selskab sendis og komme til fornefnte Capelle/ og 5 Rinske Gyldene med/ som hver/ som Selskabet bær/ skal pligtig være/ at give det i sit Testamente til Guds Tieniste og Capellanens Ophold. Og skal fornævnte Selskab og 5 Rinske-Gyldene Andtvortis vor Capellan og Canich, i forbemælte Capelle/ og skal strax da lade holde een Højtidelig begengelse med Vigiliis og Siælemesse i Høj-Koer og give tha 3 Rindske-Gylden/ skifftis skuldende imellem dem/ som ere i Koer og Guds-Tieniste/ efter gammel Sædvan/ og tha skal bethis for os/ vor kiære Huusfrue og Børn/ og for Ham/ som tha døder/ og begiæres og for alle andre/ som før var rørt; Item den 4 Gylden skal Skifftis besynderlig iblant Fattige-Folk/ og den 5 indleggis med Selskabet til Capelletz Bygning og nytte/ og ther af skal hand giøre Regenskab for Biscopen og to af Capittel, naar behof giøris/ som fremdeelis skulle underviise os og vor Efterkom̃ere i al Lejlighed ther om/ item ville vi eller vore have nogle ud af Selskabene/ tha skulle vi thets Magt have/ dog saa at vi igien indlegge fuld værdt Guld/ Sølf og Penninge/ før vi dem udthage/ item haver Gud thet saa forseet at ther i Fremtiden vorder søgning og Offer eller nogen Gave falder/ som mærkeligt kand være/ tha skal then Skifftis i 4 Deele/ en til Capittelet udi Roeskild/ een indlegge til Capellanens behov/ een til them/ som tiener i Capellen/ og een til fattige Folk/ etc. Gived i Kiøbenhafn under vor Herris Aar 1464 *Sti* Dionysii dag/ under vor Kongelige Majestatis indagle med forbemælte vor Kiære Huusfrues værdige Faders Biskop Oluf Mortensens i Roeskilde/ og Hæderlige Capittels i then samme Stæd/ Hr. Jens Brun Prior i Anderskov/ Hr. Corvitz/ Hr. Torbiørn Bildes/ Hr. Oluf Lungis/ Hr. Axel Laghosens/ Hr. Johan Oxis/ Ridderis og Anders Jensens/ Landsdommere/ Secreterer og Indagle.

Hr. Jens Torbiørnsens.

Latinè ita: *In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.*

Nos CHRISTIERNUS, Dei gratiâ, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ,
" Vandalorum, Gothorumq; Rex, Dux Slesvici, Comes Holsatiæ, Stor-
" mariæ, Oldenburgi & Delmenhorsti, notum omnibus facimus, qvi
" nunc sunt, aut futuri erunt; Nos unà cum Dilecta nostra Conjuge,
" DO-

« DOROTHEA, eadem gratiâ Dan.: Svec: & Norv: REGINA etc, Celsissimi Principis ac Domini Marchionis JOHANNIS Brandenburgensis filia etc, Scrutatos fuisse, expendisse & toto corde consideràsse hunc fraudulentum mundum esse fragilissimum, & vanitate plenissimum: nec transitoria illa mundi bona posse reqviri, qvæ efficaciùs Christiano homini in salutis negotio succurrere possunt, qvàm qvæ comparamus in hoc mundo & bene vivendo convertimus in Eleemosynas, Deóq; offerimus in honorem illius, animarúmq; nostrarum reqviem. Qvocirca unà cum prædicta nostrâ dilectâ Dominâ Capellam à primo fundamento exstruendam curavimus, idq; austrum versùs penes Cathedralem Roeschildiæ Ecclesiam unà cum tribus Altaribus, eámq; cum Calicibus, Missalibus, cæterisq; ornamentis, qvæ eò spectant, per fecimus SStæ Trinitati, Virgini Mariæ, S. Annæ, B. Birgittæ, S. tribus Regibus, omnibúsq; Sanctis in cælo honori & gloriæ, Parentibus nostris, Antecessoribus & Successoribus Regibus in Dania, charissimis Liberis nostris cum omnibus Christianis animabus in placidam reqviem. Et volumus, ut sacra in prædicta Capella ad hunc, qvi seqvitur, modum peragantur, etc. Præterea orandum erit in prædicta Capella qvatuor statis temporibus & Festis, & in summo Choro pro Nobis, Dilecta nostra, Liberis nostris, Parentibus & Successoribus pro Rege Christophoro, Marchione Johanne, Duce Alfio & pro omnibus, qvi sodalitii nostri tesseram portant & portavêre. Qvo nomine unà cum dilecta nostra Conjuge ex Consilio Senatorum nostrorum ita constituimus, ut qvi fatis concesserit, Ordine nostro donatus, teneri debeat remittere prædictæ Capellæ prædictam societatem unà cum 5 Florenis Rhenanis, qvos qvilibet, qvi socius Ordinis declaratus est, tenebitur testamento legare in ministerium Dei & Symmistæ vivendi rationes; & tradetur dicta nostra societas unà cum 5 dictis Florenis Comministro nostro Canonico ejusdem Capellæ, qvi mox funeralia proseqvetur cum vigiliis, missa, Choralibus, & dividet 3 illos Florenos inter illos, qvi funeralibus interfuère, ex consvetudine antiqva, effusis precibus pro nobis, dilecta nostra Conjuge, & eo, qvi fatis concesserat, veluti & pro omnibus aliis, uti antea dictum est. Qvartus Florenus in primis pauperibus tribuetur, Qvintus unà cum Ordinis tessera seu torqve reservabitur in Capellæ structuram & ornamentum, cujus rationes, cùm opus fuerit, Symmista dabit Episcopo, duobus Capitularibus, qvi Nobis & nostris successoribus, qvomodo sese cum istis rebus habeat, aperient. Qvòd si verò Nobis & nostris Successoribus placuerit, qvasdam Ordinis societates habere, nostræ id erit potestatis, saltem ut eas pleni valoris aurô, argento & pecunia antè redimamus, qvàm eas acceperimus. De cætero, si Deus concesserit, ut postea oblationibus aut Donationibûs Capella locupletetur, dividentur eæ in qvatuor partes, qvarum prima Capitulo Roeschildiæ, secunda in Capellæ necessaria, tertia iis, qvi serviunt in Capella, qvarta egenis dabitur, etc.

« Lun-

" Datum in Regia noſtra arce Hauniæ An. Domini 1464. S. Dionyſii die
" ſub ſigillis Regiæ noſtræ Majeſtatis & prædictæ noſtræ Dominæ, Reve-
" rendi Patris Epiſcopi Roeskildiæ Olai Martini, Reverendi Capituli,
" Dni Jani Brun Prioris Antvortſchoviæ, Dni Torbiörn Bilde, Dni Olai
" Lunge, Dni Corwitz, Dni Axelii Lageshon, Dni Johannis Oxe Eqvi-
" tum, & Andreæ Jani Judicis Provincialis ſecretis.

Dnus. Janus Torbiörnsön.

Hâc Auguſtisſimi Regis in membrana conſcriptâ Bullâ confirmatur ex parte traditio *Owenii Bilde* de Ceremoniis eorum, qvi in hunc Ordinem electi fuêre. Ut verò illuſtratum eamus, hujus Ordinis tesſeram fuiſſe Elephantem, afferetur Aug. CHRISTIANI II Bulla Regia in membrana Aggershuſii conſcripta An. 1508, qvâ Dn. *Erico Walchendorfio* & Prælatis Roeskild: concesſit in publicum inſigne auratum Elephantum cum aurea turri, idq; in imitationem eorum, qvi hujus Ordinis Fratres & Eqvites Roeskildiæ antea creati fuêre; ita verò prædicta Bulla habet Auguſtisſ: REGIS CHRISTIANI II è Manuſcript. membrana.

Vi Chriſtiern med Guds Naade/ ret Arfve Konning til Norgis Rige/ udvalt Konning til Danmark og Sverrig/ Hertug udi Slesvig Holſtein/ Stormarn og Dithmerſken Græve udi Oldenburg og Delmenhorſt; Giøre alle vitterligt/ at Vi for Troſkab og mangfoldig villig tieniſte/ ſom Erlig og Velbyrdig Mand/ os Elſkelig/ M. Hr. Erich Walchendorf/ Dom-Provſt i Roeſkilde/ etc. Vor kiære Herre Fader/ Højbaarne Førſte og Herre/ Hertug Hans med Guds Naade/ Danmarkis/ Sverrigis/ Norrigis/ Venders og Gothers Konning/ Hertug i Slesvig Holſtein Stormarn og Ditmerſken/ Græfve udi Oldenburg og Delmenhorſt/ disligeſte og Danmarkis og Norgis Rige her til Dags beviiſt og giordt haver udi mange Maader/ haver vi for Hans ſkyld af vor egen gode Villie og beſynderlige Gunſt og Naade undt og givet / og med dette vort Aabne-Brev undt og give det værdige prælaturæ/ Dom-Prouſted i Roeſkilde/ og hans Efterkommere Dom-Prouſter ther ſammeſtæds tilÆre/ thette efterſkrevne Vaaben Skiold og Hielm/ ſom er en Forgyldt Elephant med it Forgyldt Slot paa Ryggen/ uthi en blaa Skiold og ſamme blaa Skiold ther imellem overſat med ſine Forgyldte Lilier/ og til hiertegn paa Hielmen it Forgyldt Slot/ ſtaaendes inden i Kronen/ at have nyde bruge beholde med ſaadan frihed paa Gods og Tiennere til ævig Tid/ ſom andre værdige Prælater have i Dannemarkkis Rige og hand/ og hans Forfædre Dom-Provſter uthi Roeſkilde her til Dags nydet og bruget have. Thi forbyde vi alle/ hvo de heldſt ere eller være kunde/ og ſærdelis Fogder og Embedsmend og alle andre Forſkrevne os Elſkelig M. Hr. Erich Walchendorff/ og hans Efterkommere/ Dom-Provſter i Roeſkilde til Ævigtid her imod paa forſkrevne Fri-


 hed

hed/ og Herlighed at hindre lade/ Pladtzke/ Deele/ Nøde/ Umage eller uthi nogen Maader at forurette uden højeste Hefn og Vrede. Gifvet paa vort Slot Aggers-Huus/ St. Benedicti Abbatis Afften/ Aar efter Guds biurd/ Tusinde/ Femhundrede paa det Ottende/ under vor Secret.

Latinè ita: Nos CHRISTIERNUS Dei gratia hæreditarius Rex Nor-« vegiæ, electus Rex Daniæ & Sveciæ, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & « Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt omnibus notum faci-« mus, qvòd Nos in memoriam fidelitatis & multiplicum officiorum, « qvæ ingenuus, & generoſus Vir nobis dilectus Magiſter Dominus Eri-« cus Walchendorf, Præpoſitus Cathedralis Roeskildiæ, etc. Charis-« ſimo Domino Patri noſtro Celſisſimo Principi & Domino Johanni, « Dei gratiâ, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq; « Regi, Duci Slesvici, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comiti in Oldenburg « & Delmenhorſt, veluti & Daniæ & Norvegiæ Regnis in hunc usq; « diem multis modis exhibuit & præſtitit, conceſſerimus illius nomine, « bonâ noſtrâ voluntate, ſingulari favore & gratiâ ducti, qvemadmo-« dum & hiſce patentibus literis concedimus, & damus Venerandæ « Prælaturæ, Cathedrali Præpoſituræ Roeskild: ejusq; Succeſſoribus Præ-« poſitis Cathedralibus in honorem ſeqventia arma & inſignia, ſcutum « & clypeum, utpote deauratum Elephantum cum deaurata arce in « dorſo illius in cæruleo plano, qvod continebit varia deaurata lilia, « & in galeæ apice arx erit deaurata ſtans in Corona deaurata, qvibus « utentur & obtinebunt in æternum, unà cum iis privilegiis terrarum & « perſonarum, qvibus fruuntur cæteræ Prælaturæ in Dania, aut ipſe, « Majoresq; illius Cathedrales Præpoſiti Roeskildiæ in hunc diem gavi-« ſi fuêre. Qvocirca interdictum erit omnibus, qvicunq; fuerint, « aut eſſe poſſunt, Præfectis, præſertim & Miniſtris noſtris, cæterisq; « prædictis, neutiqvam dilectum noſtrum Magiſtrum Dnum Ericum « Walchendorphium ejusq; Succeſſores Præpoſitos Cathedrales Roeſ-« kildiæ in æternum, qvoad has immunitates & privilegia, privare, « locare, dividere, cogere, ipſi negotium faceſſere, aut ullo modo irrita hæc « facere, ſub ſumma poena, iraq;. Datum ex arce noſtra Aggershuus, Ve-« ſpere S. Benedicti Abbatis An. poſt Nativ: Domini Milleſimo, Qvin-« genteſimo Octavo ſub ſigillo noſtro.

Memorata antè inſignia hìc repræſentantur *Tab. V.* Conſulatur, ſi placet, *Auctarium Muſei Regii* noviſſimè editum Hafniæ An: 1699, ubi præter alia de Ordine Elephantino eruditè atq; ad hanc noſtram ſententiam confirmandam convenienter allata, hæc leguntur pag: 29. *In memoriam, ut cenſemus, teſſeræ conſortii Elephantini, qvod Röeſkildiæ celebrabatur, Chriſtiernus II electus Rex Erico Walchendorpf Præpoſito Röeskildenſi ejusq; in eadem præpoſitura Succeſſoribus Anno 1508 in caſtro Aggershuus veſperâ S. Benedicti Abbatis novum dedit inſigne, auratum ſcilicet Elephantem cum turri in dorſo, in ſcuto cæruleo liliis conſperſo.*

Por-



Tab: V pag: 38

Porrò seqvitur *Pii Pontificis* Bulla, unde contra *Owenium Bilde* aliosq; probatur Ordinem Elephantinum longè antè in usu extitisse, qvàm Romæ fuerit gl: m: CHRISTIANUS I.

PIUS, Episcopus, servus servorum Dei, universis CHRISTI fideli-
" bus præsentes literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictio-
" nem. Licèt is, de cujus munere venit, ut sibi ac suis fidelibus dignè &
" laudabiliter serviatur de abundantia suæ pietatis, qvæ cuncta suppli-
" cum excedit, & vota bene servientibus sibi multa majora tribuat,
" qvàm valeant promereri; nihilo minùs tamen desiderantes Domino
" populum reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatorem,
" fideles ipsos ad complacendum ei qvasi qvibusdam allecturis muneri-
" bus indulgentiis videlicet, & remissionibus invitamus, ut exinde red-
" dantur Divinæ Gratiæ aptiores. Cum itaq; sicut ex Charissimi in
" Christo filii nostri CHRISTIANI REGIS Daniæ illustris insinuatione
" percepimus, ipse qvandam fraternitatem pro piis exercendis operibus
" sub vocabulo sanctæ Trinitatis, Passionis Domini nostri JESU CHRI-
" STI, & beatæ Mariæ, de qva idem Rex, & charissima in Filio JESU
" CHRISTO filia nostra Regina Daniæ illustris, nec non multi Princi-
" pes & Nobiles, & ipsius Regis Consiliarii existunt, de novo instituerit,
" & pro fraternitate hujusmodi qvandam Capellam in honorem sanctæ
" Trinitatis, Passionis Domini nostri JESU CHRISTI, & beatæ Mariæ
" hujusmodi, in qva singulis diebus unà cantetur, & aliàs legantur Mis-
" sæ ac alia Divina officia perpetuis futura temporibus celebrentur, pro-
" pè Ecclesiam Roeskildensem ædificari, & construi fecerit, illamq;
" pro Presbyteris missas hujusmodi celebraturis perpetuò dotaverit
" competenter, nec non ipse & Regina prædicta, ac eorum filii pro se
" & posteris suis in dicta Capella ipsorum elegerint sepulturam. Nos
" cupientes, ut Capella ipsa congruis honoribus freqventetur, ac illius
" structuræ ædificia, ac ornamenta Ecclesiastica conserventur, & ut fide-
" les ipsi eò libentius causâ devotionis confluant ad eandem, & pro stru-
" cturarum, ædificiorum, ac ornamentorum hujusmodi conservatione
" manus promptiùs porrigant adjutrices, qvò ex hoc ibidem dono cæ-
" lestis gratiæ uberius conspexerint se refertos, nec non cum Regem, Re-
" ginam, seu eorum Filios prædictos ab hac luce migrare contigerit,
" tempore exeqviarum ipsorum Divinis intersint in dicta Capella, sive
" aliis Ecclesiæ solennibus officiis, de omnipotentis Dei misericordia, ac
" beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi omni-
" bus verè poenitentibus, & confessis, qvi Capellam prædictam in festi-
" vitate visitationis ipsius B. Mariæ annuatim devotè visitaverint, & pro
" structurarum, ædificiorum ac ornamentorum prædictorum conserva-
" tione manus porrexerint adjutrices, viginti annos & totidem qvadrin-
" genos, qvi verò tempore exeqviarum earundem Regis, Reginæ seu
" Filiorum prædictorum, aut alicujus illorum Divinis officiis hujusmodi,
" ut præfertur, interfuerint centum dies & totidem qvadringenos re-
" laxamus præsentibus, perpetuis futuris, & temporibus duraturis. Vo-

lumus

" lumus autem qvòd si aliàs dictam Capellam visitantibus, & ad conser-
" vationem prædictam manus adjutrices porrigentibus, seu alias inibi
" pias Eleemosynas erogantibus aliæ indulgentiæ perpetuò vel ad tem-
" pus nondum elapsum duraturæ concessæ fuerint, præsentes literæ
" nullius sint valoris vel momenti. Datum Viterby An. Incarnationis
" Domini MCCCCLXII. sexto Id: Jun. Pontificatus nostri Anno
" qvarto.

Hanc PII PONTIFICIS Bullam excipit alia sc: SIXTI IV Pontificis, qvâ confirmatur gl: m: CHRISTIANUM I solitum dare hujus Ordinis Commilitonibus, Principibus, Proceribus, Baronibus, & Nobilibus decentem torqvem.

SIXTUS EPISCOPUS, servus servorum Dei, Charissimo in Chri-
" sto filio Christierno, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Slavorum, Gotho-
" rumq; Regi Illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Ad præ-
" clara devotissimæ fidei tuæ merita, qvibus erga nos, & Romanam Ec-
" clesiam resplendere dignosceris, Apostolicæ considerationis dirigentes
" intuitum, inducimur non indignè, ut votis tuis illis, præsertim qvæ
" Pietatis opera sperantur per amplius propagari, & unde fidelium salus
" provenire valeat animarum, qvantum cum Deo possumus, favorabi-
" liter annuamus. Sanè sicut tu nobis in præsentia nostra constitutus
" exposuisti, ad sanctæ & individuæ Trinitatis, gloriosissimæ Virginis
" Mariæ, S. Annæ, & trium Regum, totiusq; triumphantis Curiæ exalta-
" tionem, laudem & gloriam, ac pro tua & pro genitorum tuorum ani-
" marum salute unam Ecclesiam sive Capellam sub invocatione ejus-
" dem sanctæ Trinitatis in Ecclesia Roeskildensi cum nonnullis Cano-
" nicatibus ac Præbendis, ac perpetuis vicariis pro personis divina officia
" perpetuò celebraturis, obtentâ priùs ab Ordinario loci super hoc li-
" centiâ, fundâsti, qvem ad dictam Ecclesiam sive Capellam geris devo-
" tionis affectum, unam confratriam, sub eadem invocatione cum cer-
" tis Capitulis, & Ordinationibus instituisti, & ordinâsti, Túq; Princi-
" pibus, Proceribus, Baronibus & Nobilibus de eadem Confraternitate
" existentibus unum decentem torqvem elargiris; qvare nobis humi-
" liter supplicâsti, ut institutioni & ordinationi præmissis, pro illarum sub-
" sistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere ac aliàs
" super hoc opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.
" Nos igitur, qvia salubria opera optamus ubilibet vigere & augeri, hu-
" jusmodi supplicationibus inclinati institutionem & ordinationem præ-
" dictam cum Capitulis & Ordinationibus circa eas ritè & rationaliter
" factis, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus & con-
" firmamus, illasq; plenum firmitatis robur obtinere decrevimus, &
" nihilominus tibi ac charissimæ in Christo filiæ nostræ, Dorotheæ Con-
" torali tuæ, nec non liberis nostris utriusq; Sexus, ac successoribus tuis,
" concedimus, ut aliqvem probum secularem, vel regularem in vestrum
" possitis, ac ipsi successores possint eligere Confessorem, qvi, post-
" qvam Tu, Contoralis & liberi prædicti præfatam Ecclesiam sive Ca-
pel-

" pellam erectam die Coenæ Domini nostri JESU CHRISTI an-
" nis singulis visitaveritis, ac ipsi Succesſores visitaverint, Tibi,
" Contorali, liberis, & Succesſoribus hujusmodi Confesſionibus ve-
" stris ac ipsorum succesſorum diligenter auditis pro qvibuscunq; com-
" misſis, etiamſi talia fuerint, propter qvæ ſedes Apostolica foret me-
" ritò consulenda, debitam absolutionem impendere, & injungere
" poenitentiam singularem, nec non ut idem vel alter Confesſor omni-
" um peccatorum, de qvibus corde contriti, & ore confesſi fueritis ac
" ipsi Succesſores extiterunt ſemel in vita tantùm, & ſemel in verò mor-
" tis articulò plenisſimam omnium peccatorum remisſionem vobis, &
" Succesſoribus prædictis in ſinceritate fidei, unitate S. Romanæ Eccle-
" ſiæ ac obedientiâ, & devotione nostrâ, vel Succesſorum nostrorum
" Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus eadem
" authoritate concedere valeat, ſic tamen qvod idem Confesſor de his,
" de qvibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam vobis & Succesſo-
" ribus prædictis per te, ſi ſupervixeritis, aut ipsi Succesſores ſupervixe-
" runt, vel per hæredes vestros, ſi tunc fortè tranſieritis, aut ipsi ſucceſ-
" ſores tranſierint, faciendam injungat, qvam Succesſores vel hæredes
" prædicti facere ac ſingulis ſextis feriis per unum integrum annum à
" tempore, qvo præſens concesſio ad vestram ſeu eorundem Succesſo-
" rum pervenerit notitiam jejunare, ſeu loco hujusmodi jejunii alia
" pietatis opera, prout eidem Confesſori videbitur, facere teneamini,
" ac ipsius Succesſores teneantur. Et ne, qvod abſit, propter hujusmo-
" di gratiam reddamini, ac ipsi Succesſores reddantur procliviores ad il-
" licita in posterum committenda, volumus, qvòd, ſi ex confidentia re-
" misſionis hujusmodi aliqvid fortè committeretur, ſeu ipsi Succesſores
" committerent, qvod illa prædicta remisſio nullatenus ſuffragetur.
" Et inſuper cupientes, ut prædicta erecta Ecclesia ſive Capella congru-
" is freqventetur honoribus, ac tam confratres prædicti, qvàm alii utri-
" usq; ſexus fideles eò libentius ad dictam erectam Ecclesiam ſive Ca-
" pellam confluant, qvò ex hoc ibidem dono coelestis gratiæ uberiùs
" conſpexerint refectos de Omnipotentis Dei miſericordia ac beato-
" rum Petri & Pauli Apostolorum, cujus authoritate confiſi omnibus
" & ſingulis Christi fidelibus verè poenitentibus & confesſis, qvi dictam
" erectam Ecclesiam ſive Capellam in nativitatis Domini nostri JESU
" CHRISTI ac asſumptionis ejusdem beatæ Mariæ festivitatibus, nec
" non eadem die Coenæ Domini viſitaverint annuatim, & ad reparatio-
" nem ac manutentionem structurarum, aliorumq; ornamentorum
" dictæ Ecclesiæ ſive Capellæ erectæ, nec non in illius librorum, calicum,
" & caſularum, aliarumq; rerum Ecclesiasticarum Divino cultui dedicata-
" rum fulcimentum manus porrexerint adjutrices pro ſingulis festivitati-
" bus & diebus prædictis centum annos & totidem qvadringenos de injun-
" ctis pænitentiis miſericorditer relaxamus, præſentibus & perpetuis fu-
" turis temporibus duraturis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc
" paginam nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis, volun-

 tatis

" tatis & relaxationis infringere, & ei ausu temerariò contraire, Si qvis
" autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei
" & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.
" Datum Romæ apud St. Petrum Anno incarnationis Dominicæ
" MCCCCLXXIV. duodecimo Kal: Maji Pontificatus nostri Anno
" tertio.

V.

Hanc seqvitur alia SIXTI IV Pontificis Bulla, qvâ inauguratio Ordinis gl: m: CHRISTIANI I confirmatur, indéq; probatur, qvot fratres hujus Ordinis essent, & ut Regius Torqves cum 5 aureis Rhenanis & cum propriis armis post mortem legaretur Capellæ.

Privilegia Ordini Elephantino à Sixto IV Pontifice concessa.

SIXTUS EPISCOPUS servus servorum Dei ad perpetuam memo-
" riam. Dum ad illam fidei constantiam, qvâ charissimus in Christo,
" Filius noster Christiernus Daciæ, Sveciæ, Norvegiæ, Slavorum, Go-
" thorumq; Rex illustris erga nos, & Romanam Ecclesiam splendere
" dignoscitur, paternè dirigimus considerationis intuitum, inducimur
" non immeritò, ut ipsius petitiones, illas præsertim per qvas Christi
" fidelium personarum salus qværitur animarum, qvantum cum Deo
" possumus, ad exauditionis gratiam admittamus: sanè, sicut idem Rex
" in nostro conspectu constitutus exposuit, ipse singulari devotionis af-
" fectu ductus, unam confratriam sub invocatione S. Trinitatis in Ec-
" clesia sive Capella sub eadem invocatione in Ecclesia Röeskildensi per
" ipsum Regem fundatam instituit, fecit & ordinavit. Nos qvi institu-
" tionem & ordinationem hujusmodi, cum Capitulis & ordinationi-
" bus circa eas ritè factis, per alias nostras literas approbavimus, & con-
" firmavimus cupientes confratres dictæ confratriæ pro tempore exi-
" stentes specialibus gratiis, & remissionum impendiis attollere, præfati
" Regis in hac parte supplicationibus inclinati, qvinqvaginta ex ipsis
" confratribus impræsentiarum, & pro tempore existentibus concedi-
" mus, qvod Confessorem secularem & cujusvis Ordinis regularem eri-
" gere possint, qvi Confessionibus illorum diligenter auditis, confratri-
" bus omnium peccatorum suorum, de qvibus corde contriti & ore
" confessi fuerint, semel tantùm in mortis articulo plenissimam remis-
" sionem eis in sinceritate fidei, unitate S. Romanæ Ecclesiæ Canonicè
" intrantium persistentibus authoritate Apostolicâ concedere valeat, sic
" tamen, qvod idem Confessor his, de qvibus fuerit alteri satisfactio
" impendenda, eam illis per se, si supervixerint, vel per alios, si tunc
" forte transierint, faciendam injungat, qvam ipsi vel illi facere tenean-
tur,

" tur, ut præfertur. Et ne, qvod absit, ipsi Confratres propter hujus-
" modi gratiam reddantur procliviores ad illicita in posterum commit-
" tenda, volumus, si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqva forte
" committerent, qvòd ad illa prædicta remissio riis nullatenus suffrage-
" tur. Et insuper qvod qvilibet qvinqvaginta fratrum hujusmodi tor-
" qvem sibi per eundem Regem in signum confraternitatis hujusmodi
" donatum cum qvinq; Florenis auri Rhenanis ac suis propriis armis sive
" insignibus, nec non proprii nominis subscriptione eidem Ecclesiæ ere-
" ctæ sive Capellæ legare; nec non per unum annum à tempore, qvo
" nostra concessio ad eorum pervenerit notitiam, computandum, nisi
" seniò aut infirmitate oppressi sint, singulis sextis feriis, impedimento
" legitimo cessante jejunare, sed illius locò aliqva pietatis opera adim-
" plere teneantur, & ad hoc sint obstricti. Qvod si prædictis feriis ex
" præcepto Ecclesiæ regulari observantiâ, injunctâ poenitentiâ, votô
" vel aliàs jejunare teneantur, unâ aliâ die singularum Septimanarum
" ejusdem anni, qvâ ad jejunandum, ut præmittitur, non sint astricti,
" jejunent &; si in dicto anno seqventi, vel aliàs, qvàm potuerunt mo-
" dô simili supplere hujusmodi jejunium teneantur. Porrò si forsan
" aliàs prælibatum jejunium in toto, vel in parte qvandocunq; adimple-
" re commodè non potuerint, eo casu Confessor idoneus, qvem ad hoc
" elegerit, jejunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum sua-
" rum saluti expedire viderit, commutare valeat, qvæ Confratres ipsi
" modô simili debeant adimplere. Alioqvin præsens concessio nullius
" sit roboris vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam
" nostræ concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerariò
" contraire. Si qvis autem hoc attemptare præsumpserit, indignatio-
" nem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus
" se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum An. Incarna-
" tionis Dominicæ MCCCCLXXIV duodecimo Kal. Maji Pontifica-
" tus nostri Anno tertio.

Alia Bulla SIXTI IV de Privilegiis Societati Ordinis Elephantini concessis extat, unde etiam illucescit per Societatem hujus Capellæ Roeskildensis intelligi Eqvites Torqvatos.

SIXTUS EPISCOPUS servus servorum Dei ad perpetuam rei me-
" moriam. Hoc Pastoralis officii debitum dignè peragere censemus,
" dum animarum Christi fidelium salutem procuramus. Hinc est, qvòd
" nos Charissimi in Christo filii CHRISTIERNI Daniæ, Sveciæ, Nor-
" vegiæ, & Slavorum Regis illustris in hac parte supplicationibus incli-
" nati, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus & ordina-
" vimus, qvod omnes & singuli fideles Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ &
" Slavorum Regnorum de ipsius Regis licentia Torqvem sub vocabu-
" lo societatis per ipsum institutum deferentes, in mortis articulo sacer-
" dotem idoneum secularem vel regularem in suum possint eligere Con-
fesso-

" fessorem, qvi confessione eorum diligenter auditâ pro commissis per
" ipsos criminibus, excessibus, & peccatis omnibus etiam in singulis sedi
" Apostolicæ reservatis casibus, debitamq; eis absolutionem in forma Ec-
" clesiæ consveta impendere, & iis poenitentiam injungere salutarem
" valeat, nec non omnium peccatorum suorum, de qvibus corde con-
" triti, & ore confessi fuerint, plenam remissionem eis in sinceritate fidei,
" unitate S. Romanæ Ecclesiæ & obedientia & devotione nostra, ac Ro-
" manorum Pontificum successorum nostrorum canonicè intrantium
" persistentibus, authoritate Apostolicâ concedere valeat, ac eidem Regi
" authoritate ac tenore prædictis indulgemus. Nulli ergo omnium li-
" ceat hanc paginam nostræ Ordinationis, statuti & concessionis in-
" fringere, vel ei ausu temerario contraire. Siqvis autem hoc attemta-
" re præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Pe-
" tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ
" apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ MCCCCLXXV Ter-
" no Decimo Kl: Julii, Pontificatus nostri Anno qvarto.

CAPUT VII.

I. Confirmatur vera sententia de usu Ordinis Elephantini longè ante CHRISTIANI I tempus. II. Afferuntur varia testimonia Anonymi in MSto Olai Wormii, Thomæ Bartholini, Oligeri Jacobæi. III. Ordo Elephantinus olim appellatus est Ordo S. Mariæ, nec non Selskab *i. e. sodalitium & fraternitas. IV. Ex Regiis Diplomatibus & Bullis Papalibus elicitur Ord: Eleph: antiqvitas ante CHRISTIANI I iter Romam. V. Afferuntur duo CHRISTIANI I Diplomata regia de Ord: Elephantino, qvorum primum scriptum est Anno 1457 ad Geminianum Trivisanum Oratorem Palatinum creatum eodem anno Eqvitem: Alterum Diploma An: 1462 Gottorfiæ datum est ad Marchionem Mantuanum, cui torqvem gestandam Rex CHRISTIANUS I dedit. VI. Capella Röeskildensis fundata olim fuit à CHRISTIANO I ad congregationem Eqvitum Ordinis Elephantini: Variæ Regiæ literæ de Sacelli hujus privilegiis & confirmatione; Capella hæc olim vocata fuit trium Regum, postea Regia, Capella à FRIDERICO I. VII. Recensentur statuta aliqvot & Regulæ, qvibus obstricti olim erant Ordinis Elephant. Fratres sive Eqvites qvorum congregatio fiebat in dicto Sacello.*

Sect. I.

Sectio I.

Plures eqvidem ac aliæ in Membrana conſcriptæ Papæ SIXTI IV literæ de Ordine Elephantino inveniuntur; ſed cum ejusdem ferè inſtituti ſint ac formæ, easdemq; indulgentias, qvæ in reliqvis Bullis noviſſimè adductis memorantur, contineant, earum lectione Lectorem fatigare facilis ſuperſedeo. Discuſſâ itaq; Epiſcopi Aarhuſienſis *Owenii Bilde* traditione, ac cum Regiis Diplomatibus, nec non Pontificum PII II & SIXTI IV Bullis collatâ veriſſimum eqvidem id eſſe largior, qvod *Owenius Bilde* tradidit, Inſigne ſc: ſocietatis Eqveſtre CHRISTIANI I fuiſſe Elephantem; hanc verò memorati Epiſcopi *Bilde* aſſertionem, ſc: CHRISTIANUM I à SIXTO IV Pontifice tum, cum Romæ eſſet, Eqveſtre hoc Inſigne Elephantinum primò accepiſſe, veritati minimè conſentaneum eſſe evincunt non modò allegatæ Pontificum Bullæ, ſed etiam alia documenta & teſtimonia.

II.

His accedit aſſertio Anonymi in Msto de Ordine Elephantino, ubi refert inter alios, qvi in Italia ſuis exorati precibus Acta SIXTI IV diligenter perlegerunt, Reverendum Patrem *Goſvinum Nichel* in literis Romæ Anno 1662 datis ita ſcripſiſſe his verbis. *De Ordine Eqveſtri Danico Elephantino in Actis SIXTI IV & Diariis particulatim, ac valde accuratè conſcriptis nihil omninò potui reperire, licèt exqviſita diligentia fuerit adhibita.* Porrò idem Mstum de Ordine Elephantino. *Qvocirca ne tenebras ſtudiô ſectemur, liberè fatemur, eandem Elephanti teſſeram & Ticini & in coronatione ſua à CHRISTIANO I novis Tyronibus eſſe traditam, qvam ipſe ab Anteceſſoribus ſuis acceperat.*

Adſtipulatur ſententiæ noſtræ Celeberimus Antiqvitatum Danicarum indagator ac vindex, D. *Olaus Wormius*, qvippe qvi in epiſtolâ ad D. *Jacobum Cabiliavium* ſcriptâ, qvam Bruxellis penes *Johannem Chifletium* ſe vidiſſe tradit MSSti Autor, ita ſuam aperit ſententiam. *Ex omnibus rerum noſtrarum peritis, qvibuscum de hac re ſc: de Ordine Eqveſtri in Dania contuli, nihil aliud memoriâ dignum expiſcari potui, qvàm ratum eſſe, viguiſſe hìc in Dania, longè ante tempora Regum ex familia Oldenburgica creatorum, Ordinem Eqveſtrem D. Virgini ſacrum, cujus ſocii penſilem ex auro Deiparæ effigiem ex collo geſtabant in catena ex Elephantis & peronibus alternatim conflata.* Hæc *Wormius*. His addatur incomparabilis ac Nobiliſſ. *Thomas Bartholinus in Diſſert. Hiſtorica de Ordine Danebrogico pag: 45, 46. Verò mihi ſit ſimilius, Ordinis*

Elephantini Insignia habuisse CHRISTIANUM I à prædecessoribus suis per manus qvasi relicta, Romamq; secum asportâsse: sed aucta illa fuisse & consecrata à SIXTO Qvarto, appensis Elephanto spineâ coronâ & tribus clavis cruentis in honorem & memoriam passionis Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, qvemadmodum ex literis Canonicorum perspicio. Ita in sacrum Ordinem convertit Sixtus, qvi militaris antea fuerat, idq; pio fine, ut ad expeditionem sacram excitaretur Rex, & mortis Christi recordatio inter nos perennaret. B. Virgini consecratum olim fuisse Ordinem insignia monstrant, qvæ cum imagine Mariæ Sanctæ Genetricis, clavis tribus & crucibus Elephanto appensis pinguntur à Bernhardo Justiniano in Historia Chronologica Ordinum Eqvestrium ex fide dignis historiis collecta. Hanc sententiam rectè & limatô simul judiciô affirmat Celeberrimus & Nobilissimus D. *Oligerus Jacobæus in Muséo Regio pag: 75 Constat enim ex indulgentiarum Bulla Papæ PII II Viterbii 1462 exaratâ CHRISTIANUM I fraternitatem qvandam sub vocabulo B. Mariæ de novo jam instituisse. Qvemadmodum & ex Bulla SIXTI IV* Romæ *1474 12 Calend: Maji memoratam torqvem per ipsum Regem sub vocabulo societatis institutam fuisse, ipsumq; Regem Principibus, Proceribus, Baronibus & Nobilibus ex eadem confraternitate existentibus unam decentem torqvem pro insigni dictæ confraternitatis elargitum esse.* Nec non pag: 78 *De novo utiq; fraternitatem hanc instituisse Rex CHRISTIANUS I ibidem expressis verbis dicitur, qvi, hinc elapso biennio, Hafniæ die S. Dionysii Sacelli dicti fundationem confecit, ubi inter cætera statuta voluit, preces fieri pro omnibus, qvi tesseram suam gestant & gestârunt.* Videatur *Auctarium Musei Regii pag: 27, 28.*

III.

Atq; ita, suffragantibus doctissimorum Virorum testimoniis, demonstravimus, Ordinem Elephantinum seu B. Mariæ Virginis antiqvissimum esse, & ultra CHRISTIANI I tempora originem suam habere. Reperta olim fuit inter alia documenta apud Canonicos Röeskildenses Epistola signata *literâ* B. *num:* 58, qvæ testabatur qvoddam genus Eqvitum in Dania fuisse dictum Bille Ridder, qvemadmodum inde percepimus Dn. *Albertum Henrici de Kundby*, & Dn. *Nicolaum Jani* dictos *Bille Ridder* legâsse *Episcopo Petro* anno 1405 bona sua. Qvam formam loqvendi *Bille Ridder* per Bullatum Eqvitem vertissem, nisi vi & significatione vocum Danicarum per Eqvites imaginis (*Billed Ridder*) hæc duo vocabula potiùs reddenda esse existimâssem, qvasi qvi imaginem Mariæ gerebant. Ita enim antiqvitus vocatum fuisse Elephantinum Ordinem, sc: Ordinem Mariæ vetusta replicanti monumenta liqvidò constabit; addita enim erat huic Ordini qvondam B. Mariæ imago, in honorem qvippe Mariæ Virginis olim sanci-

tam

tam fuisse nobilissimam Societatem Elephantinam rectè asserit *Andr: Favin in Theat: Hon: Tom: 2 pag: 1363*, qvemadmodum & ex torqve Elephantina à *Johanne Boisseau in Promptuario* ejus descripta colligere licet; imago qvippe Mariæ Virginis ex hujus sodalitii figura pendens ibidem reperitur, id qvod variæ etiam Pontificum Bullæ supra citatæ confirmant. Ordinem hunc splendidissimum alias Selskab κατ' ἐξοχὴν, i. e. sodalitium & fraternitatem cana vocavit antiqvitas.

IV.

An Regii Ordinis Elephantini Insignia à SIXTO IV adaucta fuerint, perinde est. Ipse Pontifex SIXTUS IV tradit in Bulla prædicta An. 1474 *CHRISTIANUM I solitum fuisse Regem elargiri hujus Ordinis torqvem Principibus, Baronibus, etc.* Ergo insigne illud ante Regis Serenissimi CHRISTIANI I iter Romam in usu fuit. Qvod etiam ex ipso CHRISTIANI I Diplomate regio supra allato illucescit, ubi ita: *Nos CHRISTIERNUS Dei gratiâ Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, Wandalorum, Gothorumq; Rex etc. Et volumus, ut in prædicta Capella administrentur sacra omnibus modis, ut seqvitur etc. Proinde ut preces fundantur in eadem Capella qvatuor statis temporibus, coram altari pro Nobis, dilectissima nostra Conjuge & liberis, Parentibus & Posteris, Rege Christophoro, Marchione Johanne, Duce Alfio & pro omnibus iis, qvi hanc societatem gestant & gestavêre: Datum Hafniæ 1464.* Hinc argumentum conveniens erui potest; si enim orandum esset tenore Diplomatis Regii pro iis, qvi non modò sodalitium hoc 1464 gestabant, sed pro illis etiam, qvi gestaverant, utiq; seqvitur, qvosdam fuisse Eqvites, qvi ante 1464 hoc insigne Elephantinum habuerint; at verum hoc esse constat, qvippe qvod regiis probatur literis. Qvis ergo non crederet, concurrentibus tot tantisq; antiqvitatum, & testimoniorum monumentis, qvin Ordo Elephantinus longè ante CHRISTIANI I iter Romam viguerit? Qvod præter PII II Bullam & varia Diplomata Regis CHRISTIANI I etiam duabus aliis ejusdem gloriosæ memoriæ Regis Epistolis probatur.

V.

Ad confirmandum enim ulterius gloriosissimum Regem CHRISTIANUM I Romam profectum à SIXTO IV Pontifice aureum hoc non accepisse sodalitium, sc. Ordinem Elephantinum, extant binæ gl. m. CHRISTIANI I literæ, qvarum primæ Anno 1457 ad *Geminianum Trevisanum* Aulæ Regiæ CHRISTIANI I Oratorem & Palatinum, secundæ datæ ex Castro Gottorph Anno 1462

d. 1 Decembr: ad *Franconem Fridericum* Marchionem Mantuanum, qvas Nobiliss: & Amplissimus Vir *Thomas Bartholinus Junior* Antiqvarius Regius & Professor in Univers. Hafn: ex Manuscripto Codice Excellentissimi Comitis *Ottonis Rantzow* benignè mihi communicavit. Primæ ita se habent.

CHRISTIERNUS Dei gratia etc. spectabili & nobili Militi, Geminiano Trevisano aulæ nostræ Regalis Palatino & Oratori nostro salutem, gratiam nostram, & sinceræ dilectionis affectum. Qvamvis in aliis literis nostris Regalibus, Privilegialibus, & gratiosis Torqvem nostram, qvâ collum nostrum regium & humeros nostros circumambire pro nostræ Majestatis gloria solemus, & milites ac nobiles & Generosos in signum nostræ magnificentiæ decoramus, Dilectioni Tuæ de manibus nostris largiti fuimus, & dedimus impræsentiarum tuis promerentibus virtutibus & meritis, ac obseqviis fidelibus Nobis, & Coronæ nostræ impensis multipliciter, qvia es militaribus, cingulo & honore ac insignibus decoratus, qvatenus dictam torqvem venustare auro possis & valeas decorare, circumqvaq; jugi collo tuo, ubicunq; te adesse contigerit, in signum benevolentiæ & gratiæ nostræ, tibi de nostra libertate Regia concedimus & impertimur. Datum etc. Anno LVII.

Indicat hæc epistola non solùm Trevisanum hunc Militem sive Eqvitem, ita enim Miles pro Eqvite olim sæpiùs appellatus est, Anno 1457 à Rege torqvem auream accepisse, sed Regem etiam solitum fuisse ante hunc annum 1457 eam, aliis dare *hâc enim*, inqvit Rex, & *Milites ac Nobiles ac generosos nostros in signum nostræ magnificentiæ decoramus.*

Altera autem Epistola Augustissimi Regis CHRISTIERNI I ad Illustrissimum Principem *Franconem Fridericum*, Marchionem Mantuanum, cui Rex misit torqvem humeris gestandam, hæc est. *Qvoniam bonum sui ipsius est diffusivum, & ab increatæ bonitatis fonte creaturis omnibus derivatum est, esse & vivere, his qvidem clariùs, illis autem obscuriùs. Qvod si in potioribus bonis charitatis obscuritatisq; est differentia, non admiratione indiget, si in inferioribus bonis facta sit proprietatum dissidentia. Nam ut in claritate à stellâ stella differt, se sic in probitate homo homini effert. Qvemadmodum autem natura qvibusdam præ aliis sideribus fulgorem indidit claritatis, ita & præ aliis mortales nonnullos ingenuitatis extulit dignitate. Qvos ergo naturâ dignificatos virtus qvoq; clarificat, eos cultioribus decet insignibus exornari. Torqvem itaq; Affinis Amantissime vobis per Casparum nostrum mittimus, qvalem nobis colla humerosq; Regios instituimus circuire, optamus igitur, ut & vestris gestetur humeris, & apud carissimam nobis Vestram claritudinem jugis nostri memoria teneatur. Siqvidem is mos Romanorum erat antiqvissimus, ut dum probissimi qviq; vitâ decesserant, ipsorum palam omnibus collocarentur statuæ, qvæ & rerum bene*

ge-

gestarum ab his, qvorum fuêre simulachra, essent monumenta, & ad strenuitatis actus spectatoribus hortamenta. Lucebat in effigie effigiati probitas, & qvâ incederent viâ, rationabilibus non rationale idolum demonstravit: signum ante oculos positum designavit mortuum, sed eundem in memoria viventium vivere faciebat. Qvia homo esse jam desierat, ipsius humanitas in sculptili legebatur. Nec ratione impari, aut causâ dissimili viris hâc nostrâ ætate clarissimis, ut nostro censemus arbitratu, insignia conferuntur. Valete feliciter. Ex Castro nostro Gottorph. 1 Decemb. 1462.

VI.

Sacellum Regium aliàs Roeskildiæ olim extructum & tempore CHRISTIANI I gl: m: Ordini Elephantino ac Fratrum hujus Ordinis (ita enim qvondam appellati sunt) devotioni consecratum fuisse notum est: probatur enim MSSto qvodam Inventario Capituli Roeskildensis varias Bullas in membranis fuisse conscriptas, in qvibus varia de hac Capella recensentur. Ipsa Capellæ fundatio instituta est à CHRISTIANO I Anno 1459, qvæ hæc est.

Vi Christiern meth Guds Naathe / Dannemarkis / Sverrigis / Venders og Gotters Konning / Grefve udi Oldenborg og Delmenhorst; Giøre vitterligt alle Mænd / som nu ere og komme skulle / at efterdi vi af Guds Naathe vel betenkke kunne / at vi alle paa den Yderste Thag Opstande skulle / og tage Løn for onde og gode / tha er indtet nytteligere til Menniskens Ævige Salighed / end at betragte og fuldkomme de Stykker / som Guds Lof og Tieniste Daglig opholdis og øgis ved / og udi saa Maade these Verdens forgængelige Gods og Rigdom herom at vende til ævig Løn / Himmerige at have med Gud / og at hver er saa pligtig / Gud og then Hellige Kirche-Tieniste at formeere og øge / som Gud af sin Naathe og Barmhiertighed / her udi Verden Gods og Velfart tilføjet haver / som her vil have Løn af Gud / og Glæde af hans værdige Mother Maria og alle Helgene udi Himmerige til Ævighed / og kunde vi vel besinde og betragte / at inted er vissere end Døden / og inted u-vissere end Dødsens Time / thi ere vi med vor kiære Huus-Frue Dorothea saa eens vorden / at Vi af Guds Naathe vil her udi Roeskilde / Synder under thi Helghe Trefoldigheds og *S. Lucii* Kirke Opbygge lade af ny et *Capel*, the Helghe Trefoldighedt Jomfru *Mariæ*, *S. Annæ* og the Hellige Tre Konger / besynderlig med alle Guds Helgene til Lof og Ære / ther Guds Tieniste udi oppeholdis og øghis maa / os / vor kiære Huus-Frue / Forældre og Børn / forfarne og Efterkommere Konninger udi Danmark / til voris Siælis Salighed. Og skal fornævnte *Capel* af thets Gods / som Gud os her i Verden af sin Naathe og Mildhed tilføjed haver / saa at ther udi Guds Tieniste holdis og øghis maa / thi have vi nu af beraad hue og villie med thet første udi Guds Navn gifvet / Skiøt og afhendt / og give / Skiø-

de og afhende med dette vort Aabne-Bref fra os/ vor kiære Huus-Frue/ Børn/ Arvinger og Efterkommere Konger i Dannemark/ alt these efterfølgende Gods etc. og ville vi og skulle og Konger udi Dannemark være Fuldmægtige *Patroner* til Fornævnte *Capel* med sine/ thisligeste og have Fuldmagt/ naar hand Opbygde vorder/ at skikke hvorledis hand skal forsees og forleenis. *In cujus rei testimonium secretum nostrum unà cum secreto dilectæ Contoralis nostræ Reginæ Dorotheæ præsentibus est appensum. Datum in Civitate nostra Roeskild. Anno 1459.* Proximæ, qvæ seqvuntur, Regiæ literæ An. 1466 in Castro Hafniensi scriptæ sunt, qvibûs dicta Capella trium Regum longè locupletior est reddita. Qvo eodem anno Harburgii datæ sunt aliæ Regis literæ sub Regni sigillo, qvibûs omnia bona & privilegia Regiæ & inclytæ hujus Capellæ trium Regum confirmantur. Has excepit aliud Regium Diploma, sed Anno 1467 signatum, qvô cautum erat, nemini licitum esset, minimam hujus Capellæ bonorum partem vel in jus vocare, vel, factâ qvæstione, sibi vindicare, datum in arce Harborg sub Regni sigillo. Cæteræ aliorum nostrorum gl: m: Regum, qvi Pontificiam fovebant religionem Bullæ utpote Augustiss. JOHANNIS Regis Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ etc. datæ Röeskildiæ Anno 1484, nec non Serenissimi Daniæ & Norvegiæ etc. Regis FRIDERICI I ibidem, sed Anno 1526 editæ respiciunt privilegiorum & bonorum omnium tam statûs Ecclesiastici hujus sacelli, qvàm ejusdem confirmationem, adeò ut easdem hìc recitare supervacaneum sit. Capella hæc, aliàs trium Regum Sacellum qvondam vocata, juxta CHRISTIANI I & JOHANNIS gl. m. Regum Diplomata postea vocata fuit Regis Capella tempore Augustissimi Regis FRIDERICI I, qvi primus occurrit extitisse, qvi dictum Sacellum Regium vocavit in literis Regiis scriptis Anno 1526 Roeskildiæ.

VII.



Cæterùm qvænam hujus Ordinis vel instaurati sodalitii Elephantini, cujus Fratres in Regio Roeskildensi Sacello olim congregabantur, regulæ & Statuta olim fuerint, qvantum ex fragmentis eruere ac colligere licuerit, ex seqventibus illucescit.

1. Passum & crucifixum Christum jugi & sanctâ tenere memoria.
2. Pro Ecclesia Christi fortiter pugnare.
3. Justitiam defendere, viduas, orphanos & egenos protegere.
4. Concordiam amare, Eleemosynas in pauperes erogare.
5. Elephantinum insigne in solenni congregatione & Festo gerere.
6. Hoc idem insigne post mortem ad Capellam trium S. Regum remittere.

Te-

Tenore fundationis trium Regum Capellæ tenebantur etiam hujus Ordinis Socii præter ipsam Ordinis tesseram testamento qvinq; aureos Rhenanos augustæ huic Capellæ legare, qvorum pars pauperibus, pars in sacros usus cederet, qvemadmodum id ex ipsa fundatione trium Regum Capellæ uberiùs observare licet.

Et veluti Sacellum hoc Roeskildense, regnante CHRISTIANO I gl: m:, olim in Ordinis Elephantini usum Eqvitumq; conventum sancitum erat ac destinatum, ita etiam de illustrissimis aliqvot Eqvitibus à vetustissima memoria ibidem Röeskildiæ seculo XII creatis, ut & magnificis Eqvestribus ceremoniis Roeskildiæ celebratis disertè loqvuntur Annales Historiæ Danicæ. Id qvod infra *Cap. X Sect.* V et VI ulterius enucleandum est. Atq; ita satis superq; discussum esse arbitror, qvantò implicentur errore, qvi tradunt Augustissimum Regem gl: m: CHRISTIANUM I Româ reducem factum Ordinem Elephantinum primò instituisse, ut novum Ordinem, nec Majoribus suis antea usitatum; in qvo arguendo postea nostra occupabitur opera, priscis summi & antiqvissimi hujus Ordinis symbolis criticis ad sua principia redactis, præmissóq; hoc, qvod seqvitur, Capite de variis Borealium nostrorum expeditionibus in varias terrarum regiones Orientales simul & Occidentales, easq; remotissimas susceptis.

CAPUT VIII.

I. Breviter recensentur variæ Danorum & Borealium expeditiones in Africam, Asiam: Gothi & Longobardi in Italia & Hispania varia gesserunt bella, nec non Normanni in exteris regionibus. II. Tempore Caroli Magni Oligerus Danus seculô 8 dimicavit in Asia, teste Turpino Remensi, Nauclero. III. Reginfridus sive Regnerus Lodbrogh seculo 9 expeditionem ad Hellespontum, Hispaniam, vicinas mari Mediterraneo regiones & Constantinopolin instituit, teste Saxone, Alberto Stadensi; Mariana affirmat Normannos seculô 9 præliis fregisse Mauros in Hispania & Africa, Normanni seculô 10 præliô contenderunt contra Mauros & Olysiponem, teste Pontano, nec non Saracenos, teste Purcha. IV. Danorum & Norvegorum operâ seculô 11 expugnatam fuisse Niceam anno 1097, tempore Gothofredi Bullionæi, testantur Fullerus & Historia Hierosolymitana, eósq; in Palæstinam profectos fuisse studiô recuperandi terram sanctam contra Saracenos asserunt Abbas Stadensis & Pontanus Anno 1103. V. Rex Sigvardus seculô 12 60 navibus transvectus ad Orientales oras, plurimas reportavit victorias, Alcairum vicit, & circumnavigatis Majorcâ, Minorca, Siciliâ per Græciam ad Judæam venit, deinde, classe ad littora Ptolo*maidis appulsâ, Hierosolymam adiit, & simul cum Baldvino Rege Hierosolymitano Sidonem vicit: inde Constantinopolim & Cyprum petiit, test: Chron: Nor-*

Norveg: Adrichomio, Fullero. Plura teſtimonia Adrichomii, Tyrii, Fulleri afferuntur de Sidone captâ & Niceâ ope Danorum & Norvegorum, eorumq; rebus præclarè geſtis in Syria. VI. Ericus Rex Daniæ contra Mauros in Hiſpania pugnavit, ac Lisbonam ſimul expugnavit, teſt: Chron: Saxon: Helmoldo, Saxone, initiò ſeculi 12. Calviſius autem ad Annum 1147 Erici mentionem facit. VII. Canutus VI contra Saracenos ſeculò 12 Anno 1189 claſſem miſit, captis Silumâ & Ptolomaide, & Sanctius Rex Portugalliæ ope Danorum & Norvegorum Silviam Anno 1189 cepit, teſtibus Hvitfeldio, Platina, Pontano, Fullero, aliisq;. VIII. Recitantur Literæ Regis Galliæ Ludovici datæ in favorem Haqvini Regis Norvegiæ in ſubſidium terræ ſanctæ profecturi Anno 1248.

Sectio I.



Ut verò ad inſtitutum propiùs per ſacra Danorum & Borealium bella pervenire liceat, pauciſſimis enumeraturus ſum, qvibus temporibus, & qvibus Ducibus hæc eadem ſuſcepta fuêre & peracta, idq; qvantum ex Hiſtoriarum monumentis eruere licet. Nihil hìc de Gothis ac Longobardis noſtris loqvar, qvorum virtute magnam partem Italiæ ac Hiſpaniæ ſubactam fuiſſe conſtat: nonnihil verò de Normannis noſtris, qvorum Heroica acta in Apulia, Calabria, Sicilia, aliisq; regionibus qvondam inclaruêre: horum qvippe res præclarè geſtas plurimi variarum nationum ſcriptores ſummis extollunt laudibus. Qvibus addantur Danorum & Norvegorum felices in Eccleſiæ Chriſti incrementa conatus, ſaltem ut ea, qvæ materiæ noſtræ ac ſcopo inſervire poſſunt, inde delibare liceat.

II.

Prodeat igitur in lucem primò locò *Turpinus* Epiſcopus Remenſis, qvi, remotis, qvæ fabuloſa ſunt, tantò majorem fidem mereri debet, qvantò majorem, teſte *Tarapha de Regibus Hiſpaniæ,* apud CAROLUM Magnum expertus eſt gratiam, ob magnam eruditionem & pietatem aliàs notus, teſte *Abbate Spanheimienſi de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Verba *Turpini* hæc ſunt *in vita Caroli Magni Cap. II. Ut Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum duodecim Apoſtolis & diſcipulis mundum acqviſivit, ſic Carolus cum hîs famoſîs Heroibus, Chriſti Proceribus Hiſpaniam acqviſivit ad Dei nominis decus. Primum venit Arnoldus de Bellanda etc. poſtea Ogerius Dacorum Rex, Conſtantinus cum ſuis exercitibus, noviſſimè CAROLUS etc.* Porrò *Cap: 18 Tunc CAROLUS MAGNUS diviſit terram Navarræorum Britannis, terram Caſtel-*

ſtellanorum Francis, & terram Portugallorum Dacis & Flandris. De hujus *Ogerii* nobili virtute ac geſtis in Oriente ita, deficientibus aliis, qvi Ogerio σύγχρονοι exſtiterunt, *Chronicon antiqvum*, cujus verba imitari mihi viſus eſt *Nauclerus gen: 28. In hac generatione*, inqvit, *Ogerius Dux de Dannemarchia, Princeps Chriſtianisſimus floruiſſe fertur, qvi bellò ferè omnes transmarinas partes obtinuit à Jeruſalem usq; ad arbores ſolis, Deô illi propitiò & apertis ac magnis miraculis exercitum ejus confirmante. Hic in ſuperiori India conſtituit imperium, cui præfecit Johannem filium Regis Friſonum. Qvi Præſtan peculiari gentis appellatione dicitur, eum nos Præſter Johan nominamus, etc.* Celeberrimus noſter *Olaus Wormius* in Append: ad Monumenta Danica ex Msto qvodam, qvod in Bibliotheca Academiæ Regiæ Hafnienſis vidi, refert ductu belligeroſisſimi *Udger* Indos & Tartaros & Saracenos Chriſto nomina dare coactos. Non ego hìc partes contra illos ſuſcipiam, qvi ea, qvæ de *Ogerio* referuntur, tanqvam fabuloſa enarrant, inter qvos reperiuntur *Merula in Cosmogr:* & Clarisſimus *Stephanius in notis ad Saxonem Grammaticum*, nec ea vindicare mens noſtra & ſcopus eſt, qvæ notisſima ſunt, ſcilicet *Ogerium* noſtrum extitiſſe eum, qvi multa præclara pro ſalute Chriſtiana præſtitit, de qvo non dubitare convenit, magnam enim hujus Herois bene meriti gloriam non fabulis, ſed hiſtoriâ dignam pauci attingere audent. Qvod memorati Epiſcopi Remenſis, qvi ſacris *Caroli Magni* & *Ogerii* noſtri bellis interfuit, teſtimoniô ſatis confirmatur, qvi licèt ea, qvæ gloriosè latéq; ab *Oligero* noſtro geſta ſunt, ſuccinctâ pennâ deſcripſerit, nunqvam tamen eam gloriam Danis attribuerat, niſi rerum geſtarum & virtutis eorum certior fuiſſet. Qvæ verò aliàs de præclaro hoc Heröe *Oligero* Dano traduntur ac narrantur, illa libertati & figmentis Pöetarum Scriptorúmq; attribuenda eſſe arbitror, præſertim ſi fabulas ſapere videantur; Videatur Celeberrimi *Thomæ Bartholini Junioris Tractatus de Holgero Dano editus Hafn: 1677 Cap: XI, XII.* De memorato autem *Holgero Dano* ita loqvitur Nobilisſ: ac Celeberrimus *Vitus Beringius in Floro Danico* impreſſo Othiniæ 1698 pag: 156. *Zelô*, inqvit, *fidei ad arma peregrina profectus, atq; à Carolo Magno, cujus caſtra & auſpicia ſeqvebatur, Loſſæ Comitatu in agro Leodicenſi donatus, rei Chriſtianæ injurias in Saracenos & Gentiles ultus eſt etc. Id conſtat, ardentisſimi ſpiritus Principem, relictô ſolô noſtrô, in qvo natus & altus adoleverat, militatum foràs digreſſum inter agones & certamina, qvacunq; progrederetur, per orbem perpetuâ victoriâ ſignâſſe vias, usq; adeò, ut Rolandi, æmuli primùm, mox commilitonis, non æqvârit tantùm, ſed ſuperârit gloriam: ſupra cujus famam non habuit eâ tempeſtate Mavors, qvô erigeret armorum ſplendorem.*

III.

De *Reginfrido* ſeu *Regnero Lodbrogh* ſeculô IX ita *Saxo Grammaticus Lib: 9 Hiſtor: Dan: Poſt hæc Regnerus expeditionem in Helleſponticos parans, vocatâq; Danorum concione ſaluberrimas ſe leges laturum*

rum promittens, ut unusqvisq; Paterfamilias, ficut ante qvem minimum inter liberos duxerat, militaturum exhibuerat, ita nunc valentioris operæ filium, aut probatioris fidei fervum armaret, edixit. Qvô factô, omnibus, qvos ex Thora procreaverat, filiis per Ubbonem affumptis, Hellefpontum ejusq; Regem variîs contufum bellis lacesfendo perdomuit. Albertus Abbas Stadenfis in Chronico ita: *Pulfus ab Haraldo Reginfridus mari fortunam tentare inftituit, piraticam longè latéq; per Hiberniam ac Scotiam exercendô. Atq; inde longinqvam militiam ingresfus, Hifpaniamq; prætervectus non qvievit, donec ad mare Mediterraneum longô circuitu perveniffet, omnésq; circumpofitas regiones unâ cum Conftantinopoli divexâffet, & tandem eodem remenfus itinere in Daniam cum admirabili victoria rediiffet.* Ex hifce *Saxonis* & *Abbatis Stadenfis* verbis colligere licet, qvæ arma in Hellefpontum à *Reginfrido* fufcepta fuerunt: qvâ autem poftmodum Maurorum clade, exponit *Mariana Lib: 7 Cap: 16 de rebus Hifpanicis: Northmanni circa annum 857 cum 60 navium claffe ad litora appulfi oram maritimam, qvàm latè Hifpania patet, ad utrumq; mare depopulati funt, atq; utramq; Balearem infulam ferrô incendioq; deformârunt, Mauris præcipuè infenfi, cum Hifpanicæ gentis confvetudine ad Religionem Chriftianam propenfi effent. In Africam etiam transmiffum, ubi non minorem cladem Mauris intulerunt.* Idem teftatur Clarisfimus nofter *Pontanus in Hiftoria Danica*, qvi ita: *Valida per ea tempora clasfis Normannorum ad littus Hifpanorum profecta viam Galliæ infeftam reddidit, dum ope Regis Ramerici exuftis 70 navibus ad mare regresfi funt. Qvi cladi fuperfuerunt, Nerio promontorio fuperato, ad Tagi oftium invecti, Olysfibonam urbem, qvæ ad Maurorum ditionem redierat, omni belli injuriâ fatigârunt. Atq; inde aucti claffe & viribus Hifpalim obfederunt, Gaditanos agros & Asfidonæ fines, ablatis opimis prædis, vaftârunt: Mauri, qvi prælii fortunam tentare aufi funt, tribus conflictibus magnô numero funt cæfi, ad ultimum, cum diutius iis locis confediffent, etiam nova arma in adverfum moliretur Addelrhamus, magna gloriâ partâ, fpoliis onufti difcefferunt.* De Normannis noftris ita *Purchas Lib: 3 Cap. 22, And when they had performed great attempts by land and fea by hoftiles incurfions, they alfo expelled the Saracens, who at that time came into Italy, and faught to fet them felves in Calabria and Apulia, and they brought colonies Northward Into Hetland, Ferrow and Island.* Hæc partim decimo ferè feculô poft Chriftum natum peracta funt.

IV.



In undecimum feculum incidebat celebris illa Niceæ expeditio, cui interfuiffe Danos & Norvegos tradit *Thomas Fullerus in Hiftoria belli Sacri Lib. I. Denmarck and Norvay near acqvainted with the Artick pole though the lagged the laft (and may ther in be excufed, becaufe of the length of the way) Were sharers in the honnour of* this

this exployement and performed good ſea ſervice. Horum operâ expugnatam Niceam an: 1097 tradit prædictus *Fullerus*, qvòd tempore *Gothofredi Bullionæi* factum fuiſſe referunt *Hieroſolymitanæ Hiſtoriæ Scriptores*, cujus in exercitu qvàm plurimos fuiſſe Danos teſtatur *Albertus Abbas Stadenſis* ad annum 1097, qvos tradit ſtudio recuperandæ à Turcis ac Saracenis terræ ſanctæ in Palæſtinam profectos ſub ſignis Lotharingiæ Ducis *Gothofredi* militâſſe. Clariſſimus noſter *Pontanus* ad annum 1103 ita: *Aderant in exercitu Gothofredi Bullionæi, cujus militare inſigne poſtea videbimus, non tantùm ex Germania & Gallia, ſed Dani qvoq; & Norvagi viri militares incredibili multitudine, qvos pietas & gloria ſtimulabant. Nec terrâ tantùm, ſed claſſibus qvoq; Gallia Hiſpaniâq; circumnavigata per Herculis fretum, mare Mediterraneum, contemptîs ac ſuperatîs omnibûs difficultatibus, in Palæſtinam feſtinatum.* Idem teſtatur *Micrælius Lib. II. Sect. V.* de bello ſacro ad an: 1101, regnante Baldvino Rege Hieroſolymitano ac Gothofredi Bullionæi fratre ac ſucceſſore.

V.

De alia celebri expeditione Regis *Sigvardi* ſeculô duodecimô ſcilicet inter an: 1103 & 1107, 1108 memorat *Chronicon Norvegiæ pag: 402, 403, 404, 405. Eodem tempore, qvo Regis Magni filii creati erant Reges Norvegiæ, reduces venerunt nonnulli ex illis viris partim Hieroſolymis, partim Conſtantinopoli, qvi hinc unà cum Scofte Ogmundi filio, filiisq; ejus peregrè erant profecti, ob varias multarum regionum peregrinationes admodum experti, variaq; de exteris illis referentes. Qvorum ſtimulis & ductu excitati Normannorum plurimi varias mundi Meridionales plagas adire flagrabant. Promittebant enim fauſta qvævis, & Normannos à Conſtantinopolitanis bene exceptos, ibidem admodum divites potentesq; futuros, ſi modò Cæſari ſervitia ſua offerrent. Qvo nomine qvendam Regum exoptârunt ejus itineris Ducem. Rex ergo Sigvardus, Anno 1107 ſexaginta navibus egresſus, primò ad Henricum Regem Angliæ venit anno 1108, Deinde ad Hiſpaniam ſe contulit, ubi triremes Barbaricas obvias habuit, qvibûs debellatîs, arcem qvandam in Hiſpania expugnavit. Deinde Lisbonam adiit, cujus dimidia pars conſtabat Gentilibus, & dimidia Chriſtianîs, ubi tertium iniens prælium magna reportavit ſpolia. Poſt hæc adiit Cairum, qvam civitatem ditioni ſuæ ſubjecit. In inſula Formitena prope Africam plurimos debellavit Mauros, qvibûs peractis, Majorcam & Minorcam petiit, victoriamq; obtinuit. Vernô tempore ad Siciliam venit, ubi à Cognato ſuo Rodgiero inſulæ illius Comite, qvem ibi invenit, integro octiduo lauto exceptus fuit apparatu. Seqventi verno tempore Rex Sigvardus mari per Græciam ad Judæam tetendit; Claſſeq; ad oram Ptolomaidis appulsâ, Hieroſolymas deinde adiit, Baldvino, qvem Rex ibi adinvenerat, tunc temporis in terra Sancta ad gu-*

gubernacula imperii ſedente, qvi, junctîs armîs, Sidonem, nec non aliam Gentilium Civitatem cepêre. *Baldvinus varias reliqvias ipſi dono dedit, & fruſtulum ſanctæ crucis, qvod ita reverà eſſe unà cum ipſo Patriarcha ſancto aſſeſerebat juramentò.* *Inde Rex Conſtantinopolin & Cyprum petiit, datîs Cæſari Alexio navibûs ſuîs, vicisſim ab eo plurimîs eqvîs donatus.* Prolixiùs eqvidem hæc deſcripta leguntur *in Chronico Norvegiæ* impreſſo Hafniæ 1633, ſed præcipua ſolùm inde excerpta hìc inſerere placuit. Huic etiam expeditioni Danos præſtò fuiſſe confirmat *Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ*, idq; authoritate *Gvilhelmi Tyrii de bello ſacro.* Verba hæc ſunt. *Cum An: à nativitate Chriſti 636 Sidon in Saracenorum manus perveniſſet, Hieroſolymorum Rex Baldvinus I anno* III, *inſtructâ Danorum, Norvegorum, qvi ſacra loca viſitandi gratiâ apud Joppen appulſi erant, navium claſſe civitatem mari cingens, ac ſuo exercitu terrâ obſidione vallans eam menſe Decembri cepit, ac captam cuidam ex Magnatum numero Euſtachio Gemer jure hæreditario posſidendam donavit, Danos, Norvegos pro navata bello opera præter victum nihil exigentes donariîs honoravit.* Eadem ferè habet *Thomas Fullerus in deſcriptione belli ſacri Lib: 5 Cap: 22.* *Norway (in that age the ſpruceſt of the three Kingdomes of Scandia, and beſt tricked up with shipping) ſent her fleet of tall ſouldiers to Syria: who like good fellows asked nothing for their work but their victuals, and valiantly wonne the citie of Sidon for the King of Jeruſalem. And it is conſiderable, that Syria (but à ſtep or ſtride from Italie) was a long race from Norway, ſo that their Pilgrimes went not onely into another countrey, but into another vorld. Denmarck was alſo partner in the foreſaid ſervice. Alſo ofterwards, Ericus her King thoug he went not qvite through to the Holy land, yet behaved himſelf bravely in Spain, and there asſiſted the winning of Lisbon from the infidels.* Qvid de *Erico*, cujus mentionem hìc facit *Fullerus*, ſentiendum ſit, poſtea videbimus, paucis interea recitaturi, qvæ uberius diſcrimina Boreales noſtri in Palæſtina contra Chriſtiani nominis hoſtes ſubière. De qvibus dilucidè *Chronicon Abbatis Stadenſis*, qvi proximo ultra qvadraginta annos a peracta hac expeditione vixit ſeculo, *Gothofredus*, inqvit, *præſidiis foederati ſui Imperatoris Conſtantinopolitani Romaniam attigit. Ibi ſociatis ſibi tam Siciliæ, qvàm Græciæ, Danorum, Normannorum, coeterorumq; transmarinorum exercitibus, freqventi congreſſu Barbaros atterere coepit. Tandem, Romaniâ ſubâctâ & Nicéa expugnatâ, Antiochiæ conſedit obſidio. Atq; ita inſtructis compoſitisq; copiîs Danica proſapia in Saracenorum conſpiravit perniciem, ſed non e Dania ſolùm, aut Norvegia, ſed ex Sicilia etiam cum Regis eorum conſangvineo Roberto, veluti & ex Græcia cum Alexio, in cujus aula magnâ freqventiâ & gratiâ reperiebantur complures Dani ac Norvegi;* qvemadmodum ex hiſtoria *ERICI Eyegod* per *Saxonem* noſtrum, item ex *Paulo Rhamnutio de bello Conſtantinopolitano*, nec non *Chron: Norvegiæ* illuceſcit, adeò ut coeli ſoliq; clementiam, ſimul ac notisſimam Danorum ac Norvegorum fortitudinem in hæc religioſa tentamina conſpiràſſe verè dicere liceat. Qvis verò inter Regum liberos religioſum illud duxerit Danorum agmen, *Tyrus de ſacro bello* ex parte tradit, qvi ita:

SVE-

SVENO Danus filius Regis, qvi etiam expeditionem ſacram ſuſceperat, cum Niceam transſiiſſet, à Solymanno invaditur etc. Hæc ſunt ferè ea, qvæ ad hæc tempora notanda venerunt.

VI.

Qvòd verò Doctisſimus *Fullerus* ad annum 1147 Sidonis expugnationem referat, contendens anno 1145 Lisbonam Maurorum manibus ope ERICI Regis Daniæ ereptam fuiſſe, id disceptatione dignum judico. Sidonem anno 1111 à Danis captam teſtantur *Tyrius* & *Adrichomius*, qvorum teſtimonia nuper audivimus, & *Petrus Bizarus*, qvi ita in *Hiſt. Genuenſi de Expedit: Syr: pag: 596. Eâdem tempeſtate è Daniâ, qvæ olim Cimbria fuit, & Norvegia haud exigua claſsis in mari Orientali ad communem Chriſtianam Rempublicam juvandam conſpecta fuit, qvæ certè tam opportuno tempore ſubſidio noſtris miſſa eſt, ut ejus uſus maximè nobis utilis fuerit, & certè neceſſarius, cujus auxiliô & virtute Sidon urbs inter Berythum & antiqvam Tyrum nobilisſima recepta fuit.* Expeditioni illi, qvam *Fullerus* annò 1147 factam eſſe tradit, adſtipulatur *Chronicon Saxoniæ*, qvod refert anno 1147 tres expeditiones contra Chriſtiani nominis hoſtes ſuſceptas, primam in Syriam, ſecundam in Hiſpaniam, tertiam contra Slavos. *In Hiſpania,* inqvit, *militârunt ERICUS Rex Daniæ, Henricus Frater Ducis Poloniæ, Albertus Antiſtes* Bremenſis, *& Dithmarus Verdenſis Præſul, Conradus Dux Burgundiæ, præterea navales copiæ Colonienſium, Flandrorum, Anglorum & urbem Olyſibonam poſt longam obſidionem expugnârunt, traditam Regi Galiciæ, qvem obſtringunt, ut nominis Chriſtiani hoſtibus reſiſtat.* De hoc Erico *Helmoldus Cap: 50* ita tradit. *ERICUS, potentisſimus Rex, cum ſe devoviſſet ad iter Hieroſolymitanum, fratri Nicolao regnum cum filio Canuto commendavit, acceptò juramentô, ut, ſi non rediret, filio ſuo, poſtqvam adoleviſſet, regnum traderet. Cùm ergo Regem Hieroſolymâ redeuntem fata ſuſtulisſent, Nicolaus, licèt concubinâ natus, regnum obtinuit.* Longè aliter hanc ERICI hiſtoriam reliqvit nobis *Saxo Grammaticus Lib: 12 Hiſt: Dan:* ubi refert ERICUM in Cypro antè mortuum fuiſſe, qvàm Hieroſolymam veniret, *Ericum* etiam conſtituiſſe, ſe abſente, *Haraldum* Regem, & alterum filium *Canutum* Tutori *Schalm Hvide* commiſisſe etc. Videatur, ſi placet, *Hvitfeldius in Hiſtor: Dan:* de Erico Eyegod pag: 93, 94, Cæpit ERICUS, qvi circa tempus obſeſſæ à Danis Sidonis vixit, regnare anno 1097, ultimum diem obiit anno 1105 in Cypro, qvæ tempora incidunt cum *Gothofredi Bullionæi* expeditione & Regno ipſius in Palæſtina. *Adrichomius* teſtatur Sidonem captam à Danis anno 1111, qvô annô Chronologi noſtri Nicolaum Regem ad gubernacula imperii Danici ſediſſe perhibent. Unde conſtat *Thomam Fullerum* aliam intendiſſe expeditionem, qvam ad annum 1147 refert. ERICUS qvippe Rex longè ante annum 1147 mortuus erat. *Calviſius* verò ad annum 1147 *Erici* qvoq; mentionem facit. *In Hiſpanica,* inqvit,

qvit, *expeditione militârunt Rex ERICVS Daniæ, Episcopus Bremensis, Burgurdus, Comes Flandriæ, Theodoricus, qvi potissimam exercitus partem duxit, cum Lotharingis & Anglis. Solverunt ex Anglia die 12 Aprilis in Hispaniam, deinde obsident Olysibonam, qvæ erepta est ex servitute Maurorum post qvinq; mensium obsidionem 25 Octobr.*

VII.

Porrò ut alia Danorum contra Saracenos acta in medium proferamus, insignis etiam seculò XII tempore Gloriosissimi Regis CANUTI VI facta est expeditio, cujus mentionem facit *Hvitfeldius* noster ad annum 1189, & *Platinam* adducit testem pag: 150. *Platina*, inqvit, Skrifver/ at de Danske/ Friser og Flandrer hafve med 50 Skibe løbet under Africæ Side/ og giordt de Saracener stoor Skade/ indtaget een Bye/ som heeder Siluma. Verba ipsius *Platinæ* hæc sunt: *Clemente Pontifice incitante præteralios Principes Christianos etiam Frisones, Dani, & Flandrenses cum 50 triremium classe inter navigandum ad littora Africæ flectentes Saracenos magnis incommodis afflixêre, captâ ac direptâ Siluma eorum urbe.* Clarissimus noster *Pontanus* in Hist. Dan: ad annum 1189 ita: *Romanus Pontifex Clemens ipsius nominis III missâ seorsim ad Canutum in Dania legatione, de auxilio mari submittendo iisdem in Asia laborantibus rebus Regem cohortatus est. Et referunt Chronographi Danos tum unà cum Frisonibus & Flandris navium 53 classem in subsidium confestim expedivisse. Qvæ exinde classis, postqvam oram solvisset, vi tempestatum in partem Olysibonensium delata tam insignem Sanctio Portugalensium Regi operam navavit, ut civitas Sylvensis à jugo Saracenorum liberata ipsius tum accesserit imperio. Ita autem cum classis Præfectis convenerat Sanctius, ut ipsis præda, sibi verò oppidum cederet.* Idem in Chronico suo testatur *Wolfgangus Dreschlerus*, ubi hæc. *Eodem anno, sc: 1188 Danica & Flandrica classis Africana littora infestat, Sylva urbe captâ & incensâ.* Qvod idem *Georgius Fabricius in Chron: Saracenorum* testatur, *Baronius in Annal: Eccles: & Rogerius de expeditione Hierosolymitana ita: Coeterùm unà cum navibus Teutonicorum qvoq;* Danicæ *convenerunt in Palæstina ad obsidionem munitionis hostilis. Thomas Fullerus in Hist: belli Sacri lib: V Cap. 22* de CANUTO ita loqvitur; *His successor, CANUTUS anno 1189 had provided his navie, but was prevented by death: his sckips neverthelesse came to Syria.* Insigne etiam testimonium suppeditat Doctiss: *Joh: Micrælius in Syntagm. Histor. Lib: 3 Sect. 3* de Regibus Portugalliæ pag: 705 *SANCCIUS I. F. bellis adversus Saracenos institit auxiliô Danorum ad sacrum bellum egressorum usus.*

VIII. Ex-

VIII.

Extant LUDOVICI Regis Galliæ literæ, ex qvibus innotescit, Regem Norvegiæ HACQVINUM in subsidium terræ sanctæ peregrè proficisci proposuisse, verba hæc sunt.

LUDOVICUS D. G. Francorum Rex universis amicis & fidelibus " suis Ballivis, Majoribus & Præpositis, ad qvos præsentes literæ perve- " nerint, salutem. Cum Charissimus noster, illustris Hacon Rex Nor- " vegiæ in subsidium terræ Sanctæ transfretare proponat, sicut nobis " per literas suas intimavit, vobis mandamus, qvatenus si eundem Re- " gem per navigium ipsius per mare contiguum terræ nostræ transire " contingat, vel in terram nostram, vel in feuda nostra alicubi applica- " re, ipsum ac suos benignè & honorificè recipiatis, permittentes eos- " dem in terra nostra victualia emere, & sibi per forum legitimum de " sibi necessariis providere. Actum apud S: Germanum in Laja " 1248.

CAPUT IX.

I. Ordo Elephantinus originem traxisse fertur à cæso in Oriente Elephanto. II. Vigelii, Meursii testimonia de Ordinis origine ab expeditionibus Africanis. III. Danos fuisse in Africa seculo 8 tempore CAROLI Magni testantur præter Chalcocondylam Æmylius, Frantzius; Micrælii testimonium de Danis & Normannis tempore CAROLI Magni, eorumq; rebus præclarè gestis in Oriente aliisq; locis. Haraldus multa præclara gessit contra Saracenos & Scythas testibus Saxone Grammatico, Vilhelmo Malmesburiensi, Adamo Bremensi, Casp. Kirchmanno. De Danorum Græcis stipendiis adducitur testimonium Pauli Vindingii. IV. Inter Danos & Alexandrinos in Ægypto freqvens olim fuit usus commerciorum seculo XII, teste Benjamine Navarræo. In Gothlandia reperti sunt multi nummi antiqvi Arabici. Dani tempore Regneri Lodbrogh Olysibonam Mauris eripuerunt, teste Pontano; varia loca Orientis Danorum ope capta. V. Testimonia Bechmanni, Pierreville, & Bernhardi Justiniani de origine Ordinis Elephantini è Militia sacra Cruciata. Elephantorum olim usus erat in bellis Orientalibus. Nec impossibile fuit Elephantum vitâ privare: Elephantum in pugna occidit Eleazar. 1 *Machab. VI. Danus*

nus qvidam Magnus Jacobi anno 1675 Sclopetô Elephantum in Africa necavit. Hujus Elephanti auris & dentes reperiuntur in Basilica Regia Hafniensi. Dentes Elephanti etiam vocantur cornua. VI. Olim mos erat hostibus detracta insignia vel spolia armis suis vel insignibus inserere. Petrus I Arragoniæ Rex 4 Maurorum Regum capita armis suis inseruit an: 1096: Cornu Olivant antiqvitùs usitatum erat & Danis notum. VII. Heröes qvidam Boreales in Norvegia olim cognomen habuerunt ab Elephanto, & in insignibus proboscides Elephantinas & Elephantum ac crucem. Annis abhinc 600 Norvegi habuerunt leonem in armis; Batavorum leones in insignibus ab expeditionibus sacris originem habere affirmat Heuterus & Hoepingius.

Sectio I.



Qvæ proinde ab exteris Scriptoribus de Danorum & Norvegorum fortitudine ac gestis contra Mauros, Africanos & cæteros nominis Christiani hostes conceptæ & relictæ sunt laudes, nostræ genti nunqvam tamen ab illis concessæ, nisi prævià acqvisitæ fuissent magnanimitate, plurimis, si opus esset, probari poterant testimoniis. Invenimus enim varia secula multorum Principum nostrorum excursionibus & bellis funesta, etiam eorum, qvi Annalibus Peregrinorum celebres, nostratum verò scriptis non adeò noti sunt, aut, mutatis nominibus, qvinam exstiterint, certi. In tanta caligine, deprædicatâ interim primâ origine inclyti Ordinis Elephantini, neglexêre seqventium temporum Scriptores & Nostratum curiosi literis mandare, qvæ ad gloriosi hujus Ordinis Elephantini auspicia pertinere poterant. Qvi factum, ut inde à Regum ac Principum nostrorum expeditionibus & gestis satis superq; cognitis constans illa traditio etiam ad Augustissimum gl: m: FRIDERICUM III Regem manaverit, maximum scilicet Ordinem Elephantinum primordia à Normanno qvodam inter Principes nostros accepisse, qvi contra Africanos & Mauros acriter pugnavit, & Elephantem in Oriente occidit, unde Elephantem in insigne militare, ut sacrum contra Barbaros trophæum, reportavit. In MSSto antiqvo, antea citato, traditur, *aliqvem de literis bene meritum affirmâsse, se legisse qvondam, Danum qvendam in bello sacro pro recuperatione terræ sanctæ gesto fortissimè se albissimo Elephanto objecisse, eoq; cæsô gloriam & tesseram genti suæ peperisse, ut in torqve memoriam Danicæ fortitudinis circumferrent.* Parvulam, qvæ hic apparet, differentiam ratione nationis, sive Normannus sive Danus fuerit, qvi Elephantem necandô gloriosa hæc patravit facinora, nullius esse momenti, & eôdem recidere causam facilè animadvertimus: Danicum enim nomen ad omnes Septentrionales se qvondam extendit, & Normannorum & Danorum nomina pari passu ambulârunt, adeò ut Danicô nomine tanqvam potio-

tiori & præcellentiori qvondam vocati ſint Boreales incolæ pro more tunc uſitato, id qvod eruditè oſtendit & ex *Chronico antiqvo Anglo-Saxonico & Hiſtoriâ Radulfi de Diceto* ad annum 1190 aliisq; teſtimoniis probavit Nobiliſſ. D. *Ottho Sperlingius* Conſiliarius Regius & Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Eqveſtri Hafnienſi *in Comment: edito Hafn: 1694 de Danicæ lingvæ & nominis antiqvâ gloriâ & prærogativa inter Septentrionales pag. 81, 82, & ſeq:* Danorum qvoq; Reges ut multoties antea, ſic hodie trecentorum, & qvod excurrit, annorum ſpatio utriq; regno glorioſè imperâſſe conſtat, adeò ut perinde ſit, ſive Normannorum Danus, ſive horum Norvegus fuerit, qvi Elephantem peremit. Traditionis Authenticas literas, inter Regni Archiva qvondam repertas, unà cum Potentisſimo qvondam trium Borealium Regnorum Rege CHRISTIANO II apud exteros præſertim apud Flandros degente exulâſſe facilè dixeris. Cujus antiqvitatis inſigne argumentum reliqvit Potentiſſimus Rex, ſigillo cum Elephanto & Liliis Capituli Röeskildenſis Præpoſito Nobiliſſimo Magiſtro *Erico Walchendorphio* anno 1508 Aggershuſii conceſſo.

II.

Ubi autem in Oriente, & à qvo noſtrorum Principum Elephas ille cæſus fuerit, de eo non conveniunt antiqvitatum indagatores. *Vigelius in Encomio generoſæ mentis* id in regionibus Indiam & Mauritaniam versùs factum fuiſſe indicat, qvi ita: *Ut repetamus Danorum improviſa facinora, qvi ſub Chriſtiano* Duce *miraculis vix credendis victoriam ad Indos extendebant, hanc gloriam inde ſecum reportantes, ut Comitatus ibi erexerint, ipſiq; ex illorum Elephantibus jam nunc nobiles milites inſigniantur.*

Ad Indiam verò, aut eas, qvæ Indiæ nomine intelligendæ veniunt, regiones venire, haud magis Majoribus noſtris fuiſſe difficile, & glorioſa perpetrare facinora, qvàm noſtratibus hodie experientiâ & teſtimoniis probatur, Qvo nomine Clarisſimus *Jacobus Meurſius* deſcriptionem Africæ, Auctore *Ol: Dappero,* dedicaturus Auguſtisſimo gl: m: Monarchæ CHRISTIANO V ita loqvitur in dedicatione: Sonder Zweifel mus vor dieſem die Däniſche Crone ein groſes darin beſeſſen haben *ſc: in Africa.* Es kan aber zu foderſt aus dem erhellen/ daß durch die ſonderbahre Tapferkeit einiger Däniſchen Helden in ermeldten *Africa* damahls ſo groſſe *progreſſen* gethan/ daß derſelbigen Thaten von ihrem König mit einem abſonderlichen Ritter-Orden/ ſo unter vieren itzo einer mit von den fürnehmſten in der gantzen Welt/ nämlich der Ritter-Orden vom Elephant/ſindt belehnet und begabet worden.

III.

Ut verò confecta Borealium Principum itinera in Oriente, Asia utpote & Africa, & variis Europæ regionibus uberiùs examinemus, probaturi Nostrates fortiter pugnando celebres extitisse & eximios Athletas etiam tempore CAROLI Magni, præter *Turpinum, Lyschandrum, Nauclerum, Suffridum, Bisciolam, Jo: Riochium,* & alios, audire hìc convenit *Laonicum Chalcocondylam Lib: 2 de rebus Turcicis,* pag: 45 edit. Paris: ubi ita: Κάρουλον δὲ μάλιστα δὴ τῶν βασιλέων τούτων τὸν πρὸς τοὺς Λίβυας πόλεμον ἀνελόμενον, συνεπιλαμβανομένου τοῦ τε ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Ὀρλανδίου, ἀνδρὸς τόλμῃ τε καὶ ἀρετῇ τὰ ἐς στρατὸν ἐπισήμου γενομένου, καὶ Ῥινάλδου, καὶ Ὀλιβερίου, καὶ ἄλλων τῶν ταύτῃ ἡγεμόνων, Παλατίνων καλουμένων, συνδιαφερόντων αὐτῷ τὸν πόλεμον, καὶ πολλαχῇ κατὰ τὴν Γαλατίαν μὲν πρῶτα, μετὰ δὲ ταῦτα, κατὰ Ἰβηρίαν τρεψάμενον τοὺς ἐναντίους, νίκας ἀνελέσθαι περιφανεῖς. Africam Lybiæ nomine vocari apud Scriptores antiqvos notum est, teste *Strabone Lib: XVII de Africa pag;* 824. Inter illos, qvi tempore CAROLI M. bellum contra Mauros, Africanos & Saracenos suscepêre, varios fuisse Danicæ juventutis Proceres præter Chalcocondylam comprobat *Paul. Æmilius de Reb. gestis Franc. Lib.* 2. *pag.* 60. *Itum,* inqvit, *in Hispaniam non tanqvam accitu Ibnabalæ, sed æqve ac, si cum omni Barbariâ bellandum esset. Nullum genus auxiliorum repudiatum est. Non modò qvi in ditione fideve CAROLI erant, sed & qvidam Danicæ Juventutis Proceres inter Duces recepti, qvos studium armorum virtutisq; ostentandæ cupido perduxerat.* Jo. Frantzius in Histor. CAROLI M. Cap. 44. *Franci, Bavari, Dani cum contemptu hostis nunqvam justo prælio superioris in ferrum ruebant, contra Barbaræ gentes mori, qvàm vinci, præoptabant.* His accedit testimonium Doctiss: *Micrælii Lib: 3 pag.* 585 *Sect.* 4 de Regno Neapolitano, qvi ita loqvitur. *Ut Neapolitanum regnum rectiùs intelligas, ab Ovo, qvod dicitur, res repetenda est. Italia & vicina Sicilia à Saracenis, qvi, Africâ occupatâ, in Hispaniam jam trajecerant, sæpiùs tentabantur. Græci Imperatores suppetias rarò ferebant. Tutò Saraceni, classe illuc delati, opulentissimas prædas sæpissimè agebant: qvin & tempore Michaelis Baldi Imperatoris Græci & Ludovici II. ab Euphemio, Siciliæ Præfecto in Imperatorem seditioso, invitati, totam illam insulam occupârunt, interfectôq; cum reliqvis Græcis Euphemio, qvi per illos Imperator fieri sategerat, sibi vindicârunt, & ex ea magnam Calabriæ & Apuliæ partem suo obseqvio subjecerunt. Nec tamen Græci omnem spem recuperandæ insulæ abjecêre: Sed diversis temporibus, Ducibus cum classe missis, tam foecundum granarium repetiêre. Omnis labor ultra C C annos frustra insumptus est, donec Græci, adscitis in belli societatem reliqviis Longobardorum & Normannis præcipuas in Sicilia urbes reciperent. NORMANNI (de illis enim hìc inprimis dicendum est) ex Cimbrica Chersoneso & aliis Septentrionalibus provinciis progressi, jam tempore CAROLI M. littoralem oram Galliæ & Britanniæ depopulari coeperant, sæpiusq; in interiorem Galliam impetu factô, omnia miserabili clade affecerant. Duces eorum ab anno Christi* IↃCCCXL *fuêre SIGEFRIDUS,*

RO-

RORICUS, HASTINGUS. Cædibûs & incendiîs omnia vastârunt, pérq; ostia Ligeris & Seqvanæ subinde invecti varia oppida diripuerunt. Qvin etiam aliqvando per Gaditanum fretum circumvecti, adverso Rhodano Valentiam usq; pervenerunt, & in Italiam, excursione subitâ factâ, Pisas depopulati sunt. ROLLO inprimis ex mediocri stirpe in Normannia & ex Ordine illorum militum, qvos Vavassores vocabant, uti testatur Otto Frisingensis: Lib: I de gestis Friderici I Cap. III, coactâ ingenti classe, seculo nono exeunte, ab Anglis primùm, deinde à Belgis & Frisiis prædas egit. Tandem Seqvanam ingressus Rothomagum occupavit, pérq; Ligerim ad ipsam Parisiorum urbem delatus diuturnâ eam fatigavit obsidione, totamq; Galliam afflixit, nec priùs compesci potuit, qvàm Carolus Simplex ei filiam Gillam ab aliis Ægidiam vocatam, cum dote Neustria, qvæ nunc primùm Normannia dici consvevit, elocaret; Hic Rollo sacrò Baptismate, in gratiam novæ nuptæ, tinctus Robertus postea vocatus est, etc. Eadem memorat Nobilisf: *Hvitfeldius* de Normannis eorumq; origine in Gallia in *Chronico Hist. Dan. pag.* 111, 112, 113 etc. *Haraldum* Sigvardi fratrem Sancti Olai uterinum, Norvegis plurimis comitantibus, in Africa seculo XI circa an: 1045 militâsse, gratissimumq; *Zoæ* Imperatrici Constantinopolitanæ fuisse, atq; in Oriente strenuè se gessisse testatur *Snorro Sturlesonius in Chron. Norveg. pag.* 335, 336. Saxo Grammaticus noster Lib. 10 Hist. Dan. tradit *Haraldum* Blaâtand,(potiùs legendum existimo Haraldum Blaaland, uti infra ex *Theodorico* Monacho de *Haraldo* Norvego legitur) trajectâ in Orientem classe, circumjacentem lacessivisse Oceanum. Gvilhelmus Malsmesburiensis Lib. 3 hæc testatur. *Successit Olao Haraldus Norvegus, frater Olai, qvi etiam Imperatori Constantinopolitano dudum juvenis militaverat.* Adamus Bremensis Lib. 3 Cap. 13 ita: *Haraldus qvidam Frater Oluph Regis & Martyris, vivente adhuc Germano, patriâ egressus Constantinopolim exul abiit, ubi miles Imperatoris factus multa prælia contra Saracenos & Scythas exercuit, fortitudine clarus & divitiîs auctus vehementer:* De hoc Norvegorum *Haraldo* MSStum Lubecense Anonymi Scriptoris de profectione Danorum in terram Sanctam à *Theodorico* Monacho dicatum *Augustino* Archiepiscopo Nidrosiensi in Norvegia, qvi vixit circa an: 1160, & post qvinq; seculorum intervallum à *Bernh. Casp. Kirchmanno* I. U. D. editum Amstelodami an. 1684 ulterius testatur, *inter Normannos nostros Haraldum in adolescentia sua multa strenuè gessisse, subvertendô plurimas civitates paganorum, magnasq; pecunias auferendô in Russia, Æthiopia, qvam nos,* inqvit, *maternâ lingvâ Blaaland vocamus: inde Hierosolymam profectum, ubiq; famosum & victoriosum: postea, peragratâ Siciliâ, magnâq; pecuniâ extorta, venisse Constantinopolin.* Eodem nomine Danos, utpote Constantinopolitanis olim charissimos, collaudat *Saxo Grammaticus Lib: XII. Hist. Dan.* ita locutus: *Inter cæteros, qvi Constantinopolitanæ urbis stipendia merentur, Danicæ vocis homines primum militiæ gradum obtinent, eorumq; custodiâ Rex salutem suam vallare consvevit.* Græca enim stipendia meruerunt olim Dani eô custodiæ titulô, qvô Helvetii in Galliâ, teste Illustri ac Nobilissimo *Paulo Vindingio* Con-

Conſiliario Regio Juſtitiæ,in ſupremo Tribunali & Conſiſtorio Aſſeſſore *in Diſſert. de Vere Græco ſ: variis Linguæ Græcæ Scriptoribus editâ Hafn. 1693.*

IV.

Prodit etiam antiqvitas & concinens Veterum fides teſtatur noſtrates mutua cum Græcis & Alexandrinis non modò habuiſſe commercia, ſed varia etiam fortunæ tentamina in Aſia & Africa ſubiisſe, & teſtis eſt *Strelovius* in *Chron Gothl: pag. 121* Gothlandiam ita floruiſſe, ut Emporium Visbye cum Græcis commercia exercuerit. Qvod verò commercia inter noſtrates & Ægyptios, Alexandrinos aliósq; ultrò citròq; tranſvecta fuerint, id teſtatur celebris ille Judæus *Benjamin Navarræus Tudelenſis* ad annum Chriſti 1173 in Itinerario ſuo, qvod inſcribitur מסעות בנימין, primùm inpreſſo Conſtantinopoli & poſtea Antverpiæ ſtudiô *Ariæ Montani* an: 1575, & demum Lugduni Batavorum an. 1633,ubi inter reliqva Europæa regna, qvorum mercatores Alexandriam Ægypti ſuis qvondam navibus petere conſveverant, mentionem etiam facit Danorum. והיא ארץ סחורה רוכלת לכל העמים ומכל מלכית אדום באים שמ אל אלכסנדריאה מארץ בלינסייא וטוסכנה ולימברדיאה ופיליה ומלכי וסקיליה ורקופיה וקרטויה ואספנייא ורוסייא ואלמאנייה ושושנאה ודנאמרקא וגלאץ ופלנדריש:

Latinè ita vertit *Conſtantinus L' Empereur pag. 123*: *Regio hæc commerciis freqventata omnium populorum eſt negotiatrix: & è toto imperio Edom (Chriſtianorum) Alexandriam adventant, è regionibus Valentiæ, Toſcanæ,Longobardiæ,Apuliæ,Malchi, Siciliæ, Cracoviæ, Cordubæ, Hiſpaniæ, Rusſiæ, Germaniæ, Helvetiæ,Daniæ,Gelats,Flandriæ,etc.* Hunc locum nervosè explicuit SummèVenerabilis Epiſcopus Aalburgenſis *Doct. Joannes Bircherodius* in Tractatu, cui inſcriptio eſt: *Arctos Alexandriæ ſive de priſco Septentrionalium in urbe illa mercatu edit: Hafn.1685*, enodando inter alia *Sect.* XVI, & XVII, qvòd per גלאץ intelligi debeat Islandia, & per דנאמרקא Dania, *Sect.* XIV,&XV. Oculato huic teſti *Benjamini*, literatæ Reipublicæ præclarè ſatis noto, qvippe qvi,tribus mundi plagis Europâ, Aſiâ, Africâ continuo itinere peragratis, res notatu dignas in memorato deſcripſit libro, fides meritò habenda eſt ; utpote qvi nullam cauſam habuit, cur aliqvid in gratiam gentis Aqvilonaris ſcriberet. Certô autem certius eſt, Majores noſtros circa ſeculi Chriſtianorum noni complementum cum Alexandrinis commercia varia habuiſſe, & hiſtoria Gothlandiæ teſtatur ejus incolis multum negotii fuiſſe cum Græcis ac Orientalibus. Cujus rei fidem indubiam qvoq; faciunt numismata varia peregrina, qvorum omnium inſcriptio Arabica erat, è Gothlandica tellure non ita pridem effoſſa, qvorum aliqvot aſſervata habuit inter alia rariora Nobiliſſimus ac Celeberrimus *Doct. Olaus Borrichius* Conſiliarius Regius Cancellariæ & Profeſſor Regius Hafnienſis. Ex hiſce autem nummis

nis facilè liqvet noſtrates qvondam in Oriente fuiſſe velut Bellatores, vel ut Mercatores, qvorum prius comprobant non modò *Saxo* noſter, qvàm plurimaq; alia teſtimonia, ſed etiam Scriptores Hiſpanici, qvi referunt noſtros Majores Regibus Arabicis multum negotii faceſſiſſe, ſpolia ipſis detraxiſſe, multumq; argenti domum ſecum attuliſſe. Hiſce etiam adſtipulatur Clar. *Pontanus* noſter in Hiſt. Danicâ, ubi ita: *Regnerus Lodbrogh, Rex Daniæ Magnus, maris Mediterranei ſubjectîs regionibûs & Conſtantinopoli divexata, demum admirabili cum victoria domum rediit. Hujus Regis numeroſa proles valida claſſe Normannos ad exteros perduxit, qvi ad Tagi oſtium evecti Lisbonam urbem, qvæ ad Maurorum ditionem redierat, omni belli injuriâ fatigârunt, atq; inde aucti claſſe & viribûs Hiſpalim obſederunt, Gaditanos agros & Aſſidoniæ fines, ablatis opimîs prædîs, vaſtârunt. Ad extremum cùm diutius iis locis conſedisſent, & jam nunc arma Adelramus in adverſum moliretur, magnâ gloriâ partâ, ſpoliîs onuſti diſceſſerunt.* Hiſce addantur, qvæ ſuprà allata ſunt, teſtimonia de iis urbibus ac locis, veluti & de iis Ducibus, à qvibus variæ urbes ac loca faucibus Maurorum, Arabum & Barbarorum aliorum communi ſimul cum aliis Europæis Danorum ac Norvegorum auxiliò erepta ſunt, utpote Lisbona, Formentera, Nicæa, Antiochia, Ptolemais, Sidon, Hieroſolyma, aliæq; urbes, adeò ut omnia maximi hujus & antiqvisſimi Ordinis Elephantini κειμήλια meritò in noſtrorum expeditionibus Aſiaticis & Africanis incunabula ſua inveniant.

V.

Huic ſententiæ ſuffragatur præter alios Celeberrimus D. *Joh. Chriſtoph. Bechmannus in Tractatu de Notitia dignit. Eqveſt. Diſſ. XVI. Sect.* 8. *Eqveſtris Ordo antiqvior in Dania eſt Elephantinus, Elephasq; cum Caſtello Clinodium Ordinis exornat, qvem tamen variis additamentis hodiernæ familiæ Oldenburgicæ Reges usq; ad FRIDERICUM III auxerunt. Initia qvi ex antiqvitate repetunt ex militia Cruciata, ſeu ſacris Danorum expeditionibus in Palæſtinam ea derivant: Dani namq; & Norvegi partem hujus militiæ faciebant.* Eadem confirmat Nobilisſ. G. *Pierreville* in Tractatu edito Londini an. 1683, cui inſcriptio eſt: The Preſent State of Denmark. *Some Writers are not of opinion, that it received its firſt Inſtitution, when Chriſtian the Firſt had thoſe many Honours conferred on him by Pope Sixtus the Fourth, but that the Badge was a meer Military Enſigne, formerly beſtowed as a Memorial and Incitement to the Daniſh Princes, for the defence and promoting of Chriſtianity againſt the Infidels.* Ita *Bernhardus Juſtinianus in Hiſt. Chronol. della vera origine di tutti gl. Ordini Eqveſtri* recenſet duas opiniones de origine Ordinis Elephantini, primam ab expeditionibus in exoticis regionibus, ſecundam verò, ſed erroneam à CHRISTIANO IV vel FRIDERICO II. gl: m: Regibus ſuprà refutatam. Conceſſo eapropter, qvod ſatis ſuperq; jam probatum

 eſt,

eſt, Noſtrates in variis Aſiæ & Africæ Orientalibus locis multa præclara facinora diversis tentâſſe temporibûs, datóq;, Elephantos fuiſſe in illis Orientis partibus, ubi eadem à Noſtratibus perracta fuère, qvod re ipſâ ita eſſe certum eſt, cùm Elephanti ibidem reperiantur, poſitô etiam, morem pugnandi cum Elephantibus ibidem fuiſſe uſitatum, Elephantos enim qvondam in bellis adhibitos fuiſſe conſtat, qvid obſtat qvò minùs Noſtratum illePrinceps non auſus fuerit ſe albiſſimo illiElephanto, de qvo ſuprà dictum eſt, opponere? Neq; enim hoc adeò erat impoſſibile,qvin fieri potuerit. Silens enim lubensq; hic prætereo illuſtre *Eleazari* ἀνδραγάθημα ac Heroicum planè facinus, qvippe qvi in accerrimo contra *Antiochum Eupatorem* prælio Elephantum procerâ mole ſupra alios eminere videns, inſtructum apparatu plane regio, atq; eodem Regem vehi ratus medias perrupit acies, &, plurimis hinc inde proſtratis, viam aperuit, neq; conſtitit, donec ſuppoſitus Elephanto, & adacto in ejus viſcera ac ventrem mucrone, illum trucidavit; qvo cadente, ipſe immani Elephantis pondere oppreſſus vitam amiſit, atq; ut cum *Ambroſio Lib.* 1. *Officiorum Cap.* 40 loqvar, *Elephanti ruinâ incluſus magis, qvàm oppreſſus ſuo eſt ſepultus triumpho.* Hujus pugnæ mentionem facit Sacra Scriptura 1 *Machab: Cap. VI. vers:* 43, 44, 45. Videatur *Bochartus Lib. II. Cap.* 27. *pag.* 271, 272, 273. Sed, hoc omiſſô, domeſticum hic adducam exemplum. Non ita pridem ſc. anno 1675 d. 12 Decemb: Vir ſtrenuus ac nobilis Centurio *Magnus Jacobi*, Præfectus Regius navium Danicarum, qvæ ad Indiam miſſæ erant, Elephantem ipſum è fluvio bibentem in Promontorio Bonæ Spei trucidavit, globô plumbeô ponè aurem è bombarda immiſſô, cùm ex tractu Indiæ Orientalis Coromandel dictô, ubi urbs regia Danorum Tranqvebar cum Caſtello Dansburgo ſita eſt, ad Daniam reverteretur. Res hæc teſtata eſt, planéq; cognita, firmata plurimorum, qvi hanc Elephanti necem ſimul adſpexerant, teſtimoniis, imò ipſis Centurionis literis propriâ illius manu exaratis. Superſedeo facilè labore easdem literas, qvæ præſtò adhuc ſunt, hìc inferendi, ut brevitati conſulam; ut ut plurima obſervatu digna contineant de necati Elephanti colore, magnitudine aurium, & dentium ſive potiùs cornuum pondere, de Hottentottis, variis in Africa avibus aliisq; lectu dignis. Aurem ejusdem Elephanti adhuc ſuſpenſam videre licet in Cimeliarchio Regio Hafnienſi: pendebat verò auris adhuc recens libras 44, erátq; pedum trium et dimidii longitudine, duorum verò & dimidii latitudine. Videre qvoq; ibidem licet dentes duos ejusdem Elephanti, qvorum ſinguli pendent 150 libras, Cornua appellari malunt nonnulli, qvæ ſententia habet graves Patronos, tam inter antiqvos, qvàm recentiores; *Cornua eſſe*, inqvit Doctiſſ: *Ludolfus* in Hiſt. Æthiop: Lib. I. Cap. 10. *& non dentes, qvod ebur vocamus, apud Æthiopes non ambigitur.* Ideo hæc Elephantorum arma lingvâ Æthiopum *Akronot* cornua, vel *Karna nagut* vocant, i. e. cornu Elephanti, ex Lexico Æthiopico ejusdem *Ludolfi* conſtat; Eandem ſententiam inſtituta à ſagacioribus Elephanti Anatome uberiùs confirmat, & inprimis inter recentiores

ores A: *Moulin* in Anatomicâ relatione Elephanti Dublinenſis editâ Londini 1682.

VI.

Notum præterea eſt non Danos ſolùm, ſed alios etiam bellatores antiqvos in hoſtem, præſertim in melioris notæ & inſignium Duces, fortiter inſurgendi occaſionem qvæſiviſſe, & vel cæſi vel capti publica ſigna, arma, manubias ſuis inſeruiſſe armis. Et veluti uſu receptum erat publico fortium Virorum facta in Clypeis & ſcutis Hieroglyphicè nonnunqvam oſtendere, ita mos & zelus fuit Principum Chriſtianorum non modò in publicis armis præferre genuinas cruentorum animalium ſpecies, qvibus declararent, qvinam eſſent, & qvid vellent: ſed hujusmodi etiam aliis detractas, ut publica fortitudinis & proſapiæ Inſignia in triumphis duxiſſe. Et qvod varii Principes in Europa armis etiam ea, qvæ hoſtibus locô trophæi erant erepta, olim inſeruerunt, teſtatur *Sigonius Lib:* 9. de Regno Italiæ exemplo *Otthonis* Mediolanenſium vice-Comitis, qvi Saraceni occiſi galeam, tanqvam inſigne ſpolium, loco Inſignium poſtea habuit. *Hieronymus Bara* ad annum 1096 refert *Petrum* I Arragoniæ Regem qvàm plurimos viciſſe Mauros, inter qvos qvatuor Regum ac Principum Maurorum abſciſſa fuerunt inventa capita, multisq; pretioſis gemmis ornata, qvæ poſtea, media cruce rubra in qvadrum diſtributa, ac in ſcuto argenteo collocata, illi & poſteris Regibus propria Regii Arragonum diadematis, ſcutorum ac militarium vexillorum fuère inſignia. Idem teſtatur P. *Palliot in Ind. Armor.* pag. 49. De *Alphonſo* I Rege Portugalliæ eadem ferè refert *Micrælius Lib. 3. pag.* 705 ad annum 1139. ALPHONSUS I *Henrici & Taraſiæ filius, Alphonſi VI Regis Caſtellæ & Legioni nepos, memorabili prælio qvinq; Saracenorum Regibus ad Orichiam cæſis, qvinq; eorum capita in inſignia retulit.* Vernacula noſtra Hiſtoria tradit *Janemundum* infenſô animô contra Salimonem iviſſe, & cæſô eqvô, fractoq; ipſius clypeô, cornu Olivant ipſi detraxiſſe, ſuóq; collo applicuiſſe. Id teſtatur etiam veteris Autoris de Hiſt. Dan. MStum, cujus verba in Celeber. *Olai Wormii* Tractatu de aureo Cornu pag. 29 in Latinam translata lingvam hæc ſunt: *Rex Salimon loricam & galeam Regis Bordantis gladiô findens eum occidit, is ad collum geſtabat cornu Janemundi, qvod Olivant vocabatur, cujus ſonus per qvindecim milliaria Francica audiri potuit*; iſtud cornu in poſſeſſionem *Rolandi* CAROLI M. ex ſorore nepotis perveniſſe idem Auctor affirmat. *Rolandi* etiam, qvi *Ogerio* noſtro aliàs *Holigero Dano* amiciſſimus erat, cornu dictum fuiſſe *Olivant* aſſerit *Merula* in Cosmogr. Priſcis autem Danorum militibus contra Mauros & Saracenos pugnantibus aliqvid de Olivantino ſive Elephantino cornu & inſigni dictum fuiſſe ex Islandicis qvibusdam antiqvis cantilenis res credula eſt. Verba Pöetæ Islandici de hoc cornu olim canentis ita ſe habent, teſte memorato D. *Olao Wormio* eruditisſimo antiqvitatum Danicarum vindice.

Per

Per viginti milliaria Gallica audiebatur sonus Olivanti, dum scutorum expugnator cornu inflavit durissimum. More eqvidem Pöetico hìc facta est exaggeratio, indubia tamen est de cornu *Olivant* ejusq; usu antiqvissimo testicatio. Hujus cornu *Olivant* mentionem qvoq; faciunt *Thomas Hubertus, Andreas Angel. in Annal. Brandeburg.* aliiq;.

VII.

Circa prædicta autem sacrarum expeditionum tempora occurrunt etiam domestica exempla ac testimonia de illustribus qvibusdam Heroibus Borealibûs in Norvegia ab Elephanto cognomen sortitis. *Brynolpho Elephant* datum fuisse celebre nostratibus Elephantinum nomen testantur Annales nostri, tradente *Snorrone Sturlesonio in Chron. Norveg. pag.* 200, 201 circa An. 1015. Nec *Brynolphus* solus erat, qvi cognomine Elephantis inclaruit, sed alium in *Chronico Norvegiæ* fuisse legimus, qvi vocatus est *Haraldus Elephant* An. 1067, teste *Chron: Norveg: pag.* 381. Qvod etiam probabile est argumentum, nomen & insigne Elephantinum nostratibus non modò isto tempore, sed ante etiam innotuisse. Neq; enim hoc nomine vocati fuerant, novo cæteroqvin in hisce regionibus, nisi Elephantinum insigne & nomen in pretio & usu qvondam fuisset, & Borealibus antea usitatum & gloriosum. Hoc illustratur antiqvìs qvibusdam Insignibûs Norvegicis proboscide Elephantinâ insignitis, & inprimis armis qvibusdam pervetustæ antiqvitatis circa eadem tempora usitatis, ac Nidrosiæ, qvæ urbs sedes qvondam Archiepiscopalis erat regni Norvegiæ, non ita pridem inter alia schediasmata in Bibliotheca plurimùm Venerabilis ac Nobiliss: Doct. *Erici Pontoppidani* Diœcesis Nidrosiensis Episcopi. b. m. repertis, qvippe qvæ repræsentant ea insignia ac signa, qvæ ad Orientales nostras expeditiones convenienter referri possunt, Elephantem utpote & crucem.



Nec



MAGNUS OLAI BARFOD Rex Norvegiæ. Tab. VI pag. 60.

Nec Elephantis ſolùm, ſed Leonis etiam Inſignia apud priſcos Boreales in Norvegia antiqvitus uſu recepta fuerunt. Ultra 600 autem annos, & qvod excurrit, exhibuêre MAGNUS OLAI BARFOD gl. m. Rex Norvegiæ circa annum 1102: teſt: *Chron: Norveg:* pag. 399 Vid: *Tab. VI*, & ERICUS Rex Norvegiæ circa an. 1292 Leones in Clypeis ac Inſignibus cum ſecuri Amazonicâ.



Ericus Rex Norvegiæ An. 1292.



Illorum inter doctos ſententiam hìc lubens ſilénsq; prætereo, qvi autumant, uſum Leonum in inſignibus publicis apud Batavos & Flandros, qvi in comitatu cum Borealibus ſæpius erant contra Chriſtiani nominis hoſtes, ab expeditionibus ſacris originem traxiſſe. Adverſatur eqvidem huic ſententiæ *Boxhornius in Theatro Hollandiæ*, ubi redarguit *P. Heuterum* aſſerentem Batavorum Inſignia Leonina à devictis Palæſtinis deveniſſe. *Hoepingius* tamen in Tract. de Inſignium jure priſco ac novo Cap. 6. pag. 415 affirmat Belgarum vicinósq; Principes bello ſacro nomen dantes uniformia Leonis apud poſteros huc usq; immutata perſiſtentia ſibi ſumpſiſſe arma. Sed hanc qvæſtionem hìc excutere ac ventilare non opus eſt; id potiùs obſervatu dignum videtur, varios Reges ac Principes Chriſtianos circa tempora ſacrarum expeditionum contra Chriſtiani nominis hoſtes varios inſtituiſſe Ordines Eqveſtres. Danos itaq; & Norvegos, qvi expeditionibus ſacris toties adfuêre, militari etiam ac eqveſtri qvâdam ſocietatis teſſerâ ſibi invicem addictos fuiſſe communis aliarum nationum conſvetudo, aliorúmq; iisdem temporibus inſtitutorum Eqveſtrium Ordinum ratio facilè ſvadere videtur.

S CAP. X.

CAPUT X.

I. Origo Ordinis Elephantini invaluisse fertur 500 abhinc annis. II. Per Elephantum designatus est olim Rex & Princeps. III. Romanorum Imperator cæsar dictus est à cæso Elephanto. Elephantinus Ordo originem habuisse dicitur à cæso Elephanto. IV. Multi Ordines Eqvestres instituti sunt seculò XI, XII, XIII, tempore sacri belli. V. Valdemarus I Rex Daniæ gestavit insigne solis radiati tempore sacrarum expeditionum. Valdemarus II annô 1188 creatus est Eqves à CANUTO VI: idem CANUTUS VI Ordinem Elephantinum instituisse fertur. VI. Hanc sententiam confirmant testimoniis suis Oligerus Jacobæus, Voigtius, Marcus Giöe, Thomas Bartholinus. VII. Exhibetur moneta rarissima & antiqva cum Elephante & imagine Mariæ Virginis per Cardinalem Bessarionem ex Oriente Romam allata. Cassiani à Puteo de hac moneta judicium, Regium sc: fuisse militum Christianorum insigne in Oriente contra Saracenos, ac referendum esse ad Ordinem Elephantinum in Dania. Talem nummum Orientalem cum Elephanto & Mariæ icone, nec non corniculatâ Lunâ habuit Illustrissimus Cancellarius Frisius. VIII. Corniculatam Lunam, qvæ Turcarum insigne est, continebat olim Ordo Elephantinus.

Sectio I.

Qvô verò Auctore inter tot potentissimos Reges, Principes & Illustrissimos Heroes, qvos è Dania & Norvegia in Orientem profectos plurimas temporibus belli sacri instituisse expeditiones sacras notissimum est, & evidenter satis ac apertè suprà probatum, hoc illustre Elephantinum Insigne demum in militare, & Eqvestre Danorum decus transierit, id non illâ, qvâ par est, industriâ ac studiò accuratè annotârunt prisci Antiqvitatum nostrarum Cultores. Originem autem hujus Ordinis qværi, ac circa ejusdem primordia investigantium laborare industriam illustre antiqvitatis signum est. Recenset MSStum illud sæpiùs repetitum varias de origine maximi ac antiqvissimi Ordinis Elephantini sententias. Inter varias autem sententias pro certissima habetur, augustum & Eqvestre hoc Insigne Elephantinum ultra 500 annos invaluisse: multi qvippe post expeditiones nostrorum contra Africanos & Mauros factas nonò, decimò, undecimò & duodecimò seculò usq; ad CHRISTIANI I gl. m. Regis tempora intervenêre anni, qvorum intermediis nullæ à nobis susceptæ sunt expeditiones contra Africanos & Orientales, multò minùs ipso tempore gl. m. CHRISTIANI I, adeò ut nullam ea propter causam habuerint vel nostro-

ſtrorum Regum alii, vel CHRISTIANUS I in Eqveſtrem teſſeram applicandi ſibi Elephantem, oſtentum naturæ, ſimulachrum Africæ, Babyloniorum inſigne, niſi antea in uſu fuiſſet, iis præſertim, qvi expeditionibus memoratis præfuêre, de qvibus ſuprà dictum eſt. Varios autem Daniæ & Norvegiæ Reges gl. m. variis ſeculis in mari Mediterraneo ac locis Orientalibus, durante bellô ſacrô, ſtrenuè ac laudabiliter ſe geſſiſſe ſuprà audivimus.

II.

Principes verò ac Duces harum expeditionum regio & Eqveſtri apparatu conſpici voluiſſe, nec communia cum inferioribus oſtendiſſe ſigna credibile eſt, & à cæſo Elephanto, de qvo ſuprà, ea ſibi applicuiſſe Hieroglyphica, qvæ Majeſtatem exprimere poterant, Elephantem utpote, idq; in memoriam fortitudinis, ſuarumq; expeditionum, Ægyptiis exiſtente myſtico per Elephantum, teſte *Horo Apollinari*, deſignare Regem vel Principem; unde *Egmundus Frigelius de Statuis Illuſtrium Romanorum* refert Elephantos non niſi Principibus decretos. Meminit *Strabo Lib. 15 Geogr:* legem fuiſſe Indorum privato homini eqvum, aut Elephantum alere non licitum fuiſſe, qvod utrumq; Regiæ poſſeſſioni cederet. Regem Pegu maximo vendicâſſe honori, niveô vehi Elephantô, tradunt hiſtoriæ. *Achmet Oneirocrit. Cap. 270* ita. *Elephas ad completisſimum Virum intrepretandô refertur, &, ſi qvis Elephantô vehi viſus fuerit, Princeps erit, & Principis alicujus amplisſimîs poſſesſionibûs potietur.*

III.

De cætero qvemadmodum apud *Spartianum* in vita Ælii Veri legimus deſignatos Auguſtæ Majeſtatis hæredes dictos eſſe Cæſares ab interfecto in prælio Elephante, cum Elephas, juxta doctorum ſententiam Maurorum lingvâ Cæſar appellatus ſit, vid. *Cap. I. Sect. 7*; ita noſtrates Mauris infeſti, teſte *Mariana*, cæſo in Oriente à Boreali Principe candido illo Elephante, ut antè memoratum eſt, reliqvêre poſteris Elephantem, ut glorioſum fortitudinis & expeditionum ſuarum contra Africanos, Mauros & Saracenos inſigne, qvod diverſimodè teſſeræ militaris inſtar in clypeis, armis, collaribus, monetis, cognominibus, torqvibus poſtea oſtenderunt, & etiamnum oſtendunt.

IV.

Præterea notum eſt, qvòd non modò ſeculô XI, ſed etiam XII, & deinceps multi Ordines Eqveſtres introducti fuerint, præſertim durante bello ſacro contra Mauros & Saracenos. Ordinem

Jo-

Johannitarum, hodie Eqvitum Malthensium, institutum circa exitum seculi XI annô 1099 doctè descripsit D. *Joh. Christ. Bechmannus* in Tractatu novissimè edito 1695, & *Christ. Osterhausen* An. 1702. Ordinem Templariorum annô 1115, vel 1118 inceptum fuisse, atq; Ordinem Eqvitum Teutonicorum sive Marianorum aut Crucigerorum seculô XII floruisse testatur *Alexander Rossæus.* Ordo Calatravæ ab aliis ad annum 1121, ab aliis verò ad an. 1158 refertur: Ordo S. Jacobi in Hispania ad annum 1170, Ordo Alcantaræ ad an. 1176, de qvibus videatur *Franciscus Caro de Torres in Historia de las Ordines Militares de Sant Jago, Calatrava y Alcantara. Franciscus Rades de Andrada & Mariana Lib. 2. de rebus Hispanicis.* Ordinem Eqvitum de Avis in Portugallia annô 1146 contra Mauros inceptum esse testatur *Lupus du Seqveira Pereira.* Ordo Eqvitum Ensiferorum in Livonia floruit circa an: 1200, qvi postea cum Crucigeris in Prussia seculô XIII circa an. 1238 conjuncti sunt, teste Hvitfeldio pag: 163 in Historia Canuti VI. Videatur *Henrici Leonhardi Schurtz-Fleischii Historia Ensiferorum Ordinis Teutonici Livonorum edita Witteberga* 1701. De aliis Ordinibus Eqvestribus temporibus belli sacri & postea institutis videantur *Mennenius, Megiserus, Justinianus, Elias Ashmole, Menetrerius, Adr: Schoonebeek* Collatis itaq;, qvæ de Ordinibus Eqvestribus tam religiosis qvàm militaribus ac secularibus eorumq; origine tradiderunt Auctores qvàm plurimi, ulteriùs innotescit, nihil freqventius fuisse Christianis Regibus ac Principibus in Oriente, Hispania, Portugallia, Gallia, Germania, Italia, Livonia, Prussia, qvàm varios Eqvestres instituisse Ordines; profectò idem Danis licuit ac Normannis, toties Orientales oras belligerâ manu ac mente aggressis, adsciscere sibi, locô tesseræ Eqvestris, Elephantinum insigne in gloriam ac fortitudinis rerumq; in Oriente bellè ac bellicosè simul gestarum memoriam.

V.

Illustrissimus autem ac antiqvissimus Ordo Elephantinus, juxta nonnullorum sententiam, ab Augustissimo gl. m. Rege CANUTO VI originem suam habuisse fertur. Variæ autem & prægnantes sunt rationes, qvæ originem Elephantini Ordinis CANUTO VI adscribendam esse svadent. Ut enim nihil loqvar de parente illius VALDEMARO I, qvem insigne solis radiati vel radiis coruscantis in pectore suo, tempore sacrarum expeditionum, portâsse constat, idq; in piam memoriam, qvòd Christiani, cùm in Africa contra Saracenos bellum gererent, ope nubis crassæ refrigerantis à Solis ardore liberati essent, teste *Alberto Stadensi*; probè hìc observanda sunt varia testimonia Historica de CANUTO VI. Ita de gloriosissimo hoc Rege testatur Nobilissimus *Hvitfeldius*, qvòd, indictâ Cruciatâ à Papa *Clemente* III, non solùm se promptum ad subsidia contra Saracenos mittenda declaraverit, sed ad arma etiam Barbaris Livonis inferenda, Majorum premendo vestigia, benevolum se exhibuerit. Enumeratis itaq; qvam

qvàm plurimis, qvas contra Livonos gessit, expeditionibus, pag: 150 loqvitur de Eqvestri VALDEMARI II ornamento, qvippe qvem frater illius CANUTUS VI Eqvitem creaverat. An. 1188 blev Hertug Valdemar slagen til Ridder i Roeskild 7 Calend: Aug: og blev hans Broders Mand og Tienere over Slesvig Hertugdom; *Meursius in Historia Danica An. 1188. Fratrem verò Valdemarum Eqvitem Röeskildiæ renunciatum mox Slesvici Ducem creat.* Comitis de Orlemund Eqvitis creati anno 1201 mentionem etiam facit *Hvitfeldius in Chron: Dan: pag: 167.* Cellissimum *Otthonem* Marchionem Brandeburgensem an: 1273 in Comitiis Slesvicensibus ab *Erico VI* gl: m: Rege Daniæ Eqvitem renunciatum fuisse testatur idem *Hvitfeldius in Histor: Dan: Erici VI pag: 275.* Non eqvidem hìc memoratur, qvo Ordine insignitus fuerit *Valdemarus II,* vel reliqvi, qvorum Eqvestris dignitatis hìc primò mentionem fecit *Hvitfeldius.* Neq; tamen Regium hunc Eqvitem *Valdemarum II* receptis illis apud varias gentes insignibus solùm decoratum fuisse probabile est, gladiô scilicet & baltheo, qvem etiam Ordinem nimirum Ordinem gladii & balthei hìc olim viguisse memorat *Hvitfeldius,* inferioris tamen dignitatis fuisse, sed ejusmodi potiùs insignitum fuisse diademate, qvippe qvô supra alios coruscaret. Ubi enim reperies per totam nostram Historiam plures pro Eqvite novo simul concurrentes rationes, qvàm tempore CANUTI VI? ubi plura testimonia de Regio Danorum Principe solenniter creato Eqvite, qvàm *Valdemaro II?* Examinatis itaq;, qvæ suprà allata sunt, ac probè discussis ventilatisq; omnibus circumstantiarum momentis, earùmq; connexione, scilicet (1) sacras expeditiones ac bella contra Mauros ac Saracenos tunc gesta fuisse, variósq; Ordines Eqvestres institutos fuisse. (2) Reges Daniæ gloriosos etiam fuisse participes harum expeditionum, ac eorum nonnullos simul fuisse in locis illis, ubi gerebantur bella sacra. (3) CANUTI VI singulatim factas an. 1188, 1189, & 1190 expeditiones in eadem incidere tempora, qvippe qvi *Sanctio* Regi Portugalliæ insignem opem tulit in civitatis Sylvensis simul & Ptolemajdis à jugo Saracenorum liberatione anno 1189. (4) Elephantinum Ordinem antiqvitus promiscuè vocatum fuisse Ordinem Mariæ. (5) Usu receptum fuisse istis temporibus, varia gestare insignia ad exprimenda ejusmodi, qvæ gesta erant, bella & acta. (6) Elephantinum simulachrum Africam & Orientales regiones qvondam significâsse, evidenter satis, ut opinor, inde illucescit, proximè ad veritatem eorum accedere sententiam, qvi Ordinis hujus primordia ad CANUTI VI & expeditionum sacrarum tempora, adeoq; ad seculum XII referunt, circa ejusdem seculi exitum ante 500 annos & qvod excurrit circa an. 1188 & 1189.

VI.


Huic sententiæ subscribunt Celeberrimus *Oligerus Jacobæus in Muséo Regio pag: 107, Voigtius* in Tractatu de Ordine Elephant:

T nec

nec non, alios ut taceam, Excellentisſimus Heros Dn: *Marcus Giöe,* Eqves Ord: Danebr: & Conſiliarius Regius intimus in elegantisſimâ Oratione MSS. de Ordine Elephantino habitâ in arce Regia Friderici-burgenſi an: 1694 die 4 July. Convenienter & ad confirmandam hanc ſententiam eruditè differentis incomparabilis ac Nobiliſſ. Doct. *Thomæ Bartholini in diſſert. Hiſtorica de Eqveſtri Ordine Danebrogico pag. 31, 32, 33,* verba hìc inſerere lubet. *Seqventibus poſt Valdemarum noſtrum ſc: II temporibus Eqvitum crebra occurrit mentio in Annalibus, qvi ab Armigeris ſeu Nobilibus aliis ſemper diſtingvuntur in omnibus Inſtrumentis publicis & tranſactionibus. Non debet ille Ordo cum Nobilisſimo Elephantino confundi, qvippe Danebrogicus promiſcuè nobilitate generis & virtute eminentibus conferri ſolebat, unde major horum Eqvitum numerus pasſim celebratur, Elephantinus verò Principibus idq; rariùs concedebatur: Hic antiqvitate majori, qvanqvam necdum ſatis cognita, ideoq; auguſtiore memoria pollet, ille recentior à Valdemaro noſtro coeleſtis Labari occaſione in uſum tractus. Nolo mihi in his credi, ſed publicis monumentis, qvæ in dictorum fidem afferam, ne gratis aliqvid dixiſſe videar. Cùm Chriſtianus Primus Oldenburgicus ex itinere Romano Mantuam ac Margravium Ludovicum ſecundò reviſeret, duos ex nobilibus Aulæ Eqvites, ſine dubio Danebrogici Ordinis, ſicut antea Mediolani, creavit, ſed ipſi Margravio, affinitatis vinculo per Barbaram Reginæ ſuæ Dorotheæ germanam juncto, dedit Elephantum nobilisſimi ſcilicet Ordinis inſigne, qvod Aureum qvoq; Vellus Hiſtorici noſtri Hvitfeldius & Pontanus vocant, non qvòd tale fuerit, ſed qvòd dignitate & inſtituti antiqvitate neutiqvam Velleri cederet. Pluſculos enim annos Ordo Danorum Eqveſtris ante Philippi Burgundi, qvi Aurei Velleris Conditor primus fertur, ætatem computat. Retrò ſi numeremus ſecula Annalium noſtrorum, inveniemus Ordinis Eqveſtris Viros, ſed Majorum gentium, anteqvam vel Aureum Vellus vel Danebroga in orbe eſſent nota. Hinc certa eſt ſuſpicio, qvia alios Ordines in Dania ignoramus, ad claſſem Elephantinam pertinere. Ita Waldemarus frater Canuti* A. C. 1188 *Eqveſtri narratur honore decoratus Röeskildiæ VII Calend. Auguſti, & eodem Canuto imperante A. C.* 1201 *Albertus Comes Orlemundæ eadem militiæ Eqveſtris inſignia recepit, ob res magnificè in Livonia pagana confectas, cujus qvidem hiſtoriæ Saxo Grammaticus nullam facit mentionem, qvia à ſcribendo feriabatur, defuncto eodem anno Abſolone, à qvo ſpiritum trahebat, poſt cujus qvoq; fata debitum naturæ reddidit, & qvanqvam qvinqvennio poſtea ſuperfuerit ex nonnullorum calculo, ultra qvintum tamen Canuti Regis annum, in qvo filum Hiſtoriæ ſuæ diſertisſimus Auctor abrupit, tædiô ſcribendi vivendiq; Patrono ſuo viduatus, progredi noluit.* Ita etiam *Janus Laurentii* in Tractatu Danico ab expeditionibus Danorum Orientalibus originem Ordinis Elephantini deducit, cujus verba in Latinum Idioma translata hæc ſunt. *Legimus etiam noſtros nobiles Danos olim aliis in locis, videlicet apud S. ſepulchrum, & à Cæſare & Regibus creatos fuiſſe Eqvites, eósq; illius Cæſaris, & Regis Eqveſtre inſigne gesſiſſe, qvi illos renunciaverat Eqvites, illos verò, qvi à glorioſisſimis noſtris Regibus in Ordinem Eqveſtrem adſciſcuntur, datur inſigne Ordinis Elephas, qvod absq;*

omni

omni dubio à Serenissimis gl: m: Danorum Regibus receptum est, idq; primùm ob vetustatem antiqvissimi regni, deinde in memoriam maximæ multitudinis & copiarum, qvas ad longè dissitas orbis regiones olim miserunt, exteris regnis ac regionibus sibi subjectis, de qvibus exteri Scriptores in maximam Danorum gloriam scripsêre.

VII.

Præmissîs itaq; iis, qvæ de variis Regibus ac Principibus nostris Borealibus in Dania & Norvegia dicta sunt, qvi in variis Africæ & Asiæ regionibus per tria ferè secula exteris oris inclaruerunt, ac Christiano nomini contra Saracenos succurrere satagerunt, præbent adhuc insignem fidem ac lucem binæ illæ monetæ rariores, qvarum altera è Græcia in Italiam per Cardinalem *Bessarionem* devenit, & ab optimo Cardinale, qvi à *Massonio* ut insigne Græciæ decus laudatur, ad Celeberrimum & doctissimum Virum *Cassianum Puteanum* transiit, de qva moneta Celeberrimus ac Doctissimus D. *Christianus Ostenfeldius*, Assessor in supremo Justitiæ Tribunali, & Regius in Academia Hafniensi Medicinæ Professor ita in literis suis hac de re scriptis judicium censurámq; suam doctè aperit. *Cassianus à Puteo Abbas & Eqves Romæ inter rariora Musæi aureum nummum in charissimis habuit ex Oriente per Cardinalem Bessarionem, ut ipse dicebat, allatum. Nummus hic primâ facie Elephantem præferebat, qvi catenâ è nubibus pendebat, insistens hypostilio, qvod coronâ ex spinis contextâ cingebatur, alterâ facie imaginem B. Mariæ Virginis sedentis cum infante Jesu præferebat.* Qvale illustris ac pereruditi *Puteani* fuerit judicium de præsenti nummo prædictus *Ostenfeldius* suggessit, idq; ipsis *Puteani* verbis, *esse sc: insigne militum Christianorum, qvi sacrô bellô in Oriente adversus Saracenos militâssent, & conjecturâ ducebatur regium fuisse insigne, & qvidem ejus Ordinis, cujus hoc tempore usus est apud Daniæ Reges.* Talem nummum itidem in Hispania, ubi Dani & Norvegi contra Mauros fortiter pugnaverunt, se vidisse confessus est Generosissimus & Nobilissimus Dn. *Cornelius Lerke* Sacræ Regiæ Majestatis Daniæ & Norvegiæ ad Regem Hispaniæ Legatus & Consiliarius Status; sæpiùs nominatum MSStum de Ordine Elephantino meminit hujùs itidem generis monetæ cum Elephanto ab una parte, & Mariæ Virginis effigie ab altera parte, & talem inter κειμήλια sua Excellentissimus & Illustrissimus Heros Cancellarius Dn. *Christianus Frisius* qvondam asservatam habuit, cujus numismatis figuram hìc videre licet.

VIII. In



VIII.

In hiſce binis monetis videtur corniculata luna, referebat enim olim Ordo B. Mariæ, ſeu Ordo Elephantinus, etiam corniculatam lunam. Vid. Tab. VII Num: 1, 2, 3. Qvod luna corniculata ſit inſigne Turcarum è *Bembo, Silveſtro Petra Sancta, Spenero, Busbeqvio*, , *Hieronymo de Bara* aliisq; conſtat. Lunas autem teſſerarias plerumq; indicia eſſe & monumenta victoriarum de Mauris vel Afris reportatarum affirmat *Marcus Gilbertus Part*: 2. *Cap. de Luna.* Pium eapropter erat gratâ mente agnoſcere, qvæ Dei erant mirandâ opera ; per corniculatæ verò Lunæ ad imos pedes ſubjectionem religioſum monſtrare trophæa Chriſtiana. Hæc Turcarum corniculata inſignia inter ſpolia fuiſſe, qvæ Dani ab illis deportârunt, evincunt non modò tot de Danorum expeditionibus, ſed de horum etiam victoriis teſtimonia, inter qvas celebris illa fuit, qvæ Nicæâ captâ, parta erat, ubi inſignem turrim tali fuiſſe corniculatæ lunæ ſpecie ornatam tradit Chronicon antiqvum de ætatibus temporum. *Mennenius de Symb: Principum* refert, *Ludovicum* Burboniorum Ducem in ſignum duraturi contra Turcas odii corniculatam Lunam ad pedes Mariæ appoſuiſſe. *Gothofredus* novus ille Rex Hieroſolymitanus in clypeo tres corniculatas Lunas geſſit, teſte *Hieronymô de Bara*; cæterorum exempla recenſere ſupervacaneum eſt, cùm hodie etiamnum inſignia Turcarum per corniculatas Lunas explicentur, & à Chriſtianis in triumphum deducta oſtendantur.

CAP. XI.

CAPUT XI.

I. De variis mutationibus ac figuris Ordinis Elephantini, ejusq; incremento ac diversis Insignibus ab antiqvissimis temporibus ad præsens usq; tempus. Antiqvissimam Ordinis figuram cum 4 Elephantis turritis & crucibus, nec non imagine Mariæ, ac corniculata Luna exhibet Johannes Boisseau. Aliam antiqvam cum 4 Elephantis & calcaribus ac Mariæ effigie & 3 clavis habet Petra Sancta. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. Variæ exhibentur figuræ Ordinis Elephantini usitatæ regnantibus in Dania gloriosissimis Regibus stirpis Oldenburgicæ CHRISTIANO I, JOHANNE, FRIDERICO I, CHRISTIANO II, CHRISTIANO III, FRIDERICO II, CHRISTIANO IV, FRIDERICO III. IX. CHRISTIANUS V Ordinem Elephantinum novissimè adauxit, ac splendidè ornavit. X. Brevis descriptio solennis congregationis Eqvitum Ordinis Eleph: & Danebrog: anno 1694 d. 4 Julii in arce & Capella Eqvestri Fridericiburgensi peractæ, & novissimè adaucta utriusq; Ordinis Elephantini & Danebrogici ornamenta recensentur. In Ordinem Elephantinum An. 1694 die 5 Julii recepti fuerunt sex Principes Germaniæ.

Sectio I.

Demonstratâ itaq;, qvantum ex primis Annalium priscorum monumentis & variis Historicorum testimoniis eruere licuit, antiqvissimâ Ordinis Elephantini origine, varias & priscas ejusdem Ordinis figuras ac mutationes hìc attingere ac curioso Lectori exhibere expostulat instituti ratio. Has autem pro lubitu ab Augustissimis Regibus Daniæ, ut Ordinis hujus supremis Dominis, à prima origine variis modis variatas fuisse ac mutatas tam notum est, qvàm qvod notissimum. Ad antiqvissimas autem Ordinis hujus figuras referenda sunt illa Schemata, qvæ repræsentant Ordinem cum 4 Elephantis turritis & crucibus alternatim junctis, atq; in modum anchoræ qvasi concatenatis cum imagine Mariæ Virginis Jesum in sinu tenentis, & corniculata Luna sub pedibus: Qvam figuram delineat *Joh. Boisseau*, ac torqvem Ordinis ex 4 Elephantis & crucibus compositum fuisse refert ad denotandas expeditiones Danorum contra Saracenos, atq; has expeditiones qvondam appellatas fuisse Cruciatas. Consulatur etiam *Petrus Palliot: pag: 503 Num: 46*: Aliam antiqvissimam Ordinis figuram, torqvem scilicet ex 4 Elephantis turritis & adjunctis calcaribus cum B. Mariæ aurata Icone, qvæ radios solis instar evibrabat, & appendicula, in qva clavi tres erant ad denotandum

dum clavos illos, qvibus Christus crucifixus est, annotavit *Sylvester Petra Sancta in Tesseris Gentilit: editis Romæ* 1635 *pag: 635* Vid: *Tab.* VII *Num: 1, 2, 3.*

II.



Qvâ formâ Ordinis Elephantini Insigne tempore gl: m: CHRISTIANI I Regis Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ exhibitum fuerit, indicat Nobilis: *Hvitfeldius in Histor: Danica, Petersonius & Hammelmannus in Chron: Holsatiæ,* ubi CHRISTIANUS I traditur Româ redux anno 1474 *Ludovico* Margravio Mantuano obtulisse Aureum suum Vellus Elephantum. Ordinis autem figuram, qvâ Augustissimus Rex Margravium illustrissimum decoravit, juxta descriptionem in Italia forte repertam, *Bernhardus Justinianus in Hist: Chronol: Ordinum Eqvestrium* exhibet, torqvem scilicet ex crucibus Patriarchalibus confectam, dependente Elephanto, & sub eo B: Maria Virgine solaribus radiis circumdatâ, additis 3 clavis, idq; in memoriam passionis Christi. Hinc olim appellatus erat ordo Mariæ propter imaginem Mariæ Virginis, qvam antiqvitus exhibebat. *Tab.* VII *Num: 4.* Similem figuram æri incisam videre licet apud *Adrianum Schoonebeek* in Tractatu nuperrimè edito Amstelodami An. 1699, cui titulus est: *Histoire de tous les Ordres Militaires ou de Chevalerie Cap: XCV.* In eo autem aliorum errorem secutus est memoratus Author, dum Elephantini Ordinis originem ad annum 1478 referendam esse asserit.

III.



Gloriosissimum Regem trium Borealium Regnorum JOHANNEM depingit *Thilo Lagus* cum triplici torqve, suffixâ Regia illius effigie ac coronato capite. Talis etiam figura in conclavi Serenissimæ Reginæ *Sophiæ Amaliæ* in arce Fridericiburgensi qvondam visa est. *Tab:* VII. *Num:* 5. De forma maximi Ordinis Elephantini tempore Regis JOHANNIS aliàs refert Episcopus Aarhusiensis *Ovenius Bilde* in Epistola suprà recitatâ Ordinem gestatum fuisse cum Elephante ex aureo torqve dependente, additis ad pedes Elephanti, locò pedamenti, coronâ spineâ & 3 clavis ad signandam Christi passionem, *Tab.* VII *Num:* 7.

Aliam formam à priori distinctam exhibet depicta effigies Dn. Diderici de Reinden, qvam Nobilissimus *Paulus Klingenberg* è legatione Hollandica redux secum attulit: qvippe qvæ constabat ex torqve cum plurimis Elephantis & turribus intermediis, dependente infra unico Elephante turrito, cujus Herois ætatem in Augustissimi Regis JOHANNIS tempora incidere indicat Chronologica annorum additorum supputatio. Dicti Eqvitis effigiei exemplar inter rariora in splendidissimâ Augustissimorum Regum Daniæ Pinacothecâ Hafniensi ho-

hodie etiam conſervatum videre licet. Vid. *Tab:* IV. *pag:* 27 & *Tab:* VII *Num:* 6.

IV.

Ad ævum Regis CHRISTIANI II qvod attinet, exſtat in membrana à Potentisſimo hoc Rege diploma raræ antiqvitatis, regio ſigillo confirmatum, cujus tenore qvondam conceſſit an. 1508 Præpoſito Röeskildenſis Eccleſiæ, ubi Sacellum Ordinis Elephantini olim erat, Nobilisſimo Dn. Magiſtro Erico Valkendorphio, ejusq; ſuccesſoribus in ſignum regiæ gratiæ Inſignia cum Elephanto turrito additisq; liliis, videatur hoc diploma ſuprà recitatum *Cap:* VI *pag:* 37, 38.

V.

Regnantibus gl: m: Auguſtisſimis Regibus FRIDERICO I, nec non CHRISTIANO III, non adeò freqvens erat uſus Ordinis Elephantini, & tractu temporum crux olim Elephanto addita ex Eqveſtris Ordinis Elephantini Inſignibus excluſa eſt, ſimul cum icone B. Mariæ Virginis & 3 clavis.

VI.

Temporibus autem Sereniſſimi Regis FRIDERICI II maxima Ordinis Elephantini mutatio accidit. Hic enim Auguſtiſſimus Illuſtrisſimi hujus Ordinis reſtitutor fuit, qvippe qvi, introductâ Orthodoxâ ac puriore religione Auguſtanæ Confeſſionis, & eliminatis Pontificiorum erroribus, preces ac cultum Sanctorum deteſtatus, loco B: Mariæ Virginis, ſubſtituit unicum turritum Elephantem è torqve aureo dependentem, & habentem à latere Regii nominis characterem F. S, atq; ſub pedibus adſcriptas qvatuor literas. T. I. W. B. hoc eſt: **Trew iſt Wildbrat/** qvod erat apophthegma regium, qvod aliàs Italicâ lingvâ redditum uſurpavit. *Fedeltà è coſa rara.* Hujus Sereniſſimi Regis tempore uſitata etiam fuit alia forma, ſcilicet Elephas turritus ſuſpenſus torqve aureâ cum imagine Regis in Elephanti latere, ſub pedibus verò notatæ erant literæ M. H. Z. G. A. id eſt: **Mein Hoffnung zu Gott allein/** qvod etiam erat Symbolum aliud ejusdem Potentisſimi Regis præter alia ſchemata, qvæ hìc exhibentur *Tab:* VII. *Num:* 8, 9, 10, 11. Alia qvoq; forma uſu recepta erat à FRIDERICO II, ſcilicet torqvis, dependente monetâ oblongâ aureâ cum Elephanto turrito & nomine F. S: additis ſub pedibus Elephanti 4 literis characteriſticis Regii Symboli. T. I. W. B, & circumſcriptis literis. **Mein Hoffnung zu Gott allein** 1580, de qva Vid. *Tab:* VIII. *Num:* 1. & *Oligerum Jacobæum in Muſéo Reg: pag.* 75.

VII. Im-

VII.

Imperante verò gl: m: Potentisſimo Rege CHRISTIANO IV ſplendida Regii Ordinis Elephantini teſſera ita mutata eſt, ut Elephas turritus primam Regii nominis literam C coronâ ornatam regiâ in medio oſtenderit; usq; ad annum 1616, qvo Calmariâ feliciter expugnatâ, ac victorioſo contra Svecos reportato triumpho, character regii nominis omiſſus eſt, & qvatuor adamantes, interpoſito armato brachio, ac ſedente in collo Elephantis Æthiope, ſubſtituti ſunt. Aliam etiam obſervavi formam tempore ejusdem Regis gl: m: CHRISTIANI IV, ſcilicet Elephantem torqve aureo pendulum, cum inſcriptis literis in medio Elephanti יהוה. Aliò præterea modô variatam Ordinis Elephantini teſſeram geſtavit prædictus gl: m: CHRISTIANUS IV, Elephantem nimirum cum unica magni pretii gemma in medio Elephanti latere, idq; in ſanctæ fidei & imperii unitatis memoriam, unico numero aliqvid nec dividente nec multiplicante. *Tabula* VIII. *Num:* 2, 3, 4.

VIII.


Ad ætatem Auguſtiſſimi Danorum Monarchæ gl: m: FRIDERICI III qvod pertinet, loco qvatuor gemmarum armatum brachium in media parte habentium, 5 adamantes in latere Elephantis è cœruleo cingulo pendentis in qvotidianam 5 vulnerum Chriſti recordationem ad formam crucis ſubſtituti ſunt: Geſtavit tamen Glorioſisſimus Rex interdum Elephantum cum unico magni voloris adamante, ac torqvem auream in faſciam coeruleam mutavit. Cui ſplendori, eodem Sereniſſimo Rege Auctore, addita eſt anno 1663 argentea ſtella circulum, in qvo Clementisſimi Regis Symbolum *Dominus Providebit* comprehendebatur, ambiens, qvem ſertum qvoddam artificioſè connexum, in cujus medio idq; in cœrulea & argentea planitie duæ coronæ conſpiciebantur, excepit. Qvo Illuſtriſſimo Ordine Serenisſimus Saxoniæ Princeps, & S. Rom: Imperii Elector, JOHANNES GEORGIUS III nuptias celebraturus cum Sereniſſima Daniæ Principe Anna Sophia FRIDERICI III filia Hafniæ an: 1663 ornatus eſt. Vid. *Tab: VIII. Num:* 5, 6, 7, 8.

IX.


Ultima, qvæ reſtat, maximi Ordinis Elephantini forma, eáq; variata accidit tempore Auguſtiſſimi ac Clementiſſimi gl: m: Monarchæ CHRISTIANI V, qvi Ordinis hujus decus maximè ac ſplendidisſimè adauxit. Qvamvis enim eadem Ordinis hujus Symbola, qvæ uſu erant recepta regnante gl: m: FRIDERICO III

diu

Vetera incliti ORDINIS ELEPHANTINI insignia tempore Sacrarum expeditionum PRINCIPUM Borealium nostrorum contra Mauros et Africanos:







Insigne ORDINIS ELEPHANTINI tempore CHRISTIANI I. REGIS Daniæ, Norvegiæ, Svetiæ, etc:



Insigne REGIS IOANNIS et REGIS Daniæ,




Equitum Ordinis tempore IOANNIS Norveg: Svetiæ, etc:




Insign: ORD: ELEPH: temporibus CHRISTIANI I. et IOHANNIS REGUM Dan: Nov Suec et:



Varia Insignia




Incluti, et Restau



rati ORDINIS ELEPHANTINI tempore FRIDERICI II REGIS Daniæ. Norvegiæ. etc:







Tempore **FRIDERICI II.** **CHRISTIANI IV.** **REGIS** *Daniæ et Norvegiæ etc.*







Tempore **CHRISTIANI IV.** **FRIDERICI III.** *Regis Daniæ et Norvegiæ etc.*









Tempore **FRIDE-RICI III.** *Regis Daniæ et Norv.* **CHRISTIANI V.** *Regis Dan. et Norv.*









Novisſ. *Inſignia* Ordinis Elephantini *tempore* **CHRISTIANI V.** *Regis Dan. Norv.*







J. Friedlan fec. Hafn.

diu ſervaverit, ſubſtituto loco Symboli *Dominus Providebit*, qvod FRIDERICUS III habuit,proprio Symbolo *Pietate & Juſtitia*,deinde tamen majorem Ordinis hujus curam clementisſimè ſuſcepit, loco binarum coronarum in ſtella argentea crucem Danebrogicam ordinando in memoriam Ordinis Danebrogici à CHRISTIANO V reſtaurati, qvippe qvi ab Heroicis Danorum geſtis in Livonia originem ſuam habet, torqvem auream ex plurimis Elephantis & turribus concatenatam, utpote diebus ſolennibus ab Illuſtrisſimis Eqvitibus geſtandam Ordini addendo, togam ac veſtes Eqveſtres, nec non tegumen capitis variis ornatum gemmis ac plumis inſtituendo, aliiſq; ornamentis verè ſplendidis ac magnificis Ordinis hujus dignitatem adaugendo, Leges & Statuta ejus reviſa, & adaucta promulgando, qvorum vi Feſtum Congregationis in Divini Numinis gloriam Ordiniſq; memoriam in Regio, qvod Fridericiburgi eſt,Sacello qvovis anno tertiâ poſthac Pentecoſtes die celebrandum juſſit, id qvod anno 1694 die 4 Julii maximâ ſolennitate ac gloriâ peractum eſt. Cujus ſolennis Actus eodem tempore à me obſervati deſcriptionem breviter concinnatam curioſo Lectori hìc exhibere libet & lubet.

X.

Die 4 Julii an: 1694 omnes utriusq; Ordinis Elephantini nec non Danebrogici Eqvites Aurati, qvicunq; tunc temporis intra Auguſtisſimi Monarchæ Regnorum & Ducatuum limites floruêre, in Regia arce Fridericiburgenſi congregati fuerunt, iisdémq; ibidem præſentibus, renovata & ab Auguſtisſimo Monarcha gl: m: CHRISTIANO V adaucta Illuſtrisſimi Ordinis Elephantini Statuta promulgata fuêre. Omnia decenti, ut par erat, Ordine peracta, & ſeqventibus præcipuè ceremoniis repræſentata ſunt. Horâ octavâ matutinâ utriusq; Ordinis Eqvites ad Regiam ſe contulerunt, ibíq;, ſervato ordine & gradu dignitatis, Sacrarium intrârunt, & qvidem ad hunc præcipuè modum. (1) Primus Ordine proceſſit Magiſter Ceremoniarum, ut & ordinis Secretarius. (2) Comitabantur lentò eóq; decenti inceſſu Eqvites Aurati Ordinis Danebrogici, alter alteri junctus ſuo qvisq; aureo novóq; Eqveſtri torqve ornatus. Aureum hoc crucis Danebrogicæ ſignum, qvod antea geſtare ſolebant Excellentiſſimi Ordinis Danebrogici Eqvites, erat ex cauſto album, cujus extremas oras rubeus firmabat limbus, totum gemmis obſitum & diſtinctum è faſcia inter binas itidem rubicundas lineas candida pendulum. Siniſtrum Eqveſtris tunicæ latus ornabat argentea ſtella octangula, in cujus medio ſpatio crux conſpiciebatur. Ornamenta verò ac Symbola Ordinis hujus Nobiliſſimi inſigniter adauxit Auguſtus Ordinis Reſtitutor gl: m: CHRISTIANUS V, & præter togam Eqveſtrem plumáſq; Eöi coloris, qvem Auroram appellârunt Veteres, nec non bombyeina albicantis fili ſerici pectoralia, femoralia, tibialia, amictumq; ſplendidè adornatum

torqvem Ordinis Danebrogici ex crucibus, interpofitis WALDEMARI II, & CHRISTIANI V nominum characteribûs ordinavit, nec non ftellam in finiftra pectoris parte geftandam cum radiis argenteis ex opere Phrygio & infcriptis hifce literis *Reftitutor.* Hæc omnia meliùs illuftrantur eleganti monetâ, percussâ in Ordinis Danebrogici reftaurationem & celebrationem, qvæ diem natalem CHRISTIANI V, fcilicet diem XV Aprilis an: 1695 illuftrabat. In hoc numismate confpicitur in primo latere effigies Regis CHRISTIANI V togam & torqvem Ordinis Elephantini induti, in poftico autem nummi latere videre licet manum nube exertam, ornamenta Ordinis Danebrogici tenentem, fuper globum coeleftem, additô Symbolô Ordinis: *Teffera Fidelium.*



3. Hifce tam magnificè procedentibûs, proximè feqvebantur Illuftriffimi Ordinis Elephantini Eqvites, fuo qvisq; comiti, ut fuprà diximus, junctus, magnificô & fumptuosô, Ordini Eqveftri noviffimè deftinatô, veftium habitu cultuq; ornatus & indutus. Novus enim ac Eqveftris hic habitus complectebatur & oftendebat non modò thoracem & braccas fupra genua decurtatas è vefte ferica candidi coloris, aureisq; intertextas notis, fcutulati operis, verùm etiam pileolos Romanos holofericô nigrô obductos, plumísq; candidi coloris & rubicundi adornatos: adaugebant deinde veftium magnificentiam margaritiferi coloris tibialia fafciis circum crura aurô ubiq; diftinctis condecorata, nec non toga Eqveftris ad talos usq; demiffa ex holoferica vefte coccinei coloris confecta, qvæ qvoq; fericô candidi coloris fulcita videbatur, cui infigne ornamentum peperit collare circumdatum, præterea lineola vel limbus ejusdem ferici candidi non modò ab inferiori fed etiam fuperiori parte confpiciebatur: repræfentavit ftella duplicem magnitudinis formam, majorémq;, qvam qvæ more folito adhiberi folet; à colli parte anteriori propendebant chordæ binæ magnitudinis fpeciofæ, qvæ fafcias aureas fericô coccineô mixtas ordine dependentes tenebant. Togæ Eqveftris hæc tamen obfervata eft differentia, qvòd Principes pallia fua lon-

longiore, reliqvi autem breviore gestaverint syrmate. Colla Eqvitum torqvis aureus circumdedit, cujus forma plurimorum Elephantorum atq; turrium species repræsentabat cum signo Ordinis Eqvestris Elephantini, scilicet Elephanto, qvi aureo torqvi annexus in medio pectoris pendebat. (4) Ordinem concomitantium honestabant & decorabant Serenissimi Principes Hæreditarii ac Filii Regii Regnorum Daniæ & Norvegiæ Hæredes. (5) Horum agmen, antecedente Cubiculario supremo scipionem aureum manu tenente, claudebat Rex Augustissimus eodem, de qvo antea diximus, vestium habitu ac ornamentô: syrma regii vestimenti, qvippe qvod reliqvorum Eqvitum syrmate longius erat, ab Illustrissimo Heroe Dn. *Ulderico Christiano Gyldenlovio* Archicubiculario Regio & Archithalasso Generali gerebatur, qvàm plurimis Proceribùs, Purpuratis Heröibus, & Ministris Aulicis proximè concomitantibus. Postqvam decenti hoc ordine & Illustrissimo conventu Sacrarium omnes intrârant, Rex Clementissimus in medio Sacrarii, ad hunc Eqvestrem conventum ordinati, & qvidem in solio Regali magnificè ornato sedile occupavit. Emicuerunt supra thronum integra regnorum, & qvæ eò pertinent, Ducatuum & Provinciarum Insignia torqvibûs utriusq; Ordinis Regii cincta & circumdata, inscriptô frontispicio solii Symbolô Regiô: PIETATÆ & JUSTITIA, Principibus ab utroq; latere Sacræ Regiæ Majestati justo ordine assidentibûs & circumsedentibûs, positisq; Ordinis Elephantini Eqvitibus triginta sellis holosericô rubrô obductis. Supra unamqvamq; sellam Insignia Eqvitum nec non eorundem nomina ac Symbola scuto impressa videbantur. Circumstabant ab utroq; latere ambitûs templi Eqvites Aurati Ordinis Danebrogici, qvorum Insignia nominibûs & Symbolis notata & decorata ante fenestras circumspiciebantur, veluti etiam adhuc suspensa ibidem in splendidissimo Sacello Regio Fridericiburgensi videre licet singula omnium utriusq; Ordinis tam Elephantini, qvàm Danebrogici Eqvitum, qvi hodie vivunt, Insignia & adscripta Symbola. Vid. *Tab: X.* Auditâ deinde concione, qvam habuit Summè Venerabilis ac Nobilissimus Doct: *Pet: Jesspersonius* Sacræ Regiæ Majestatis Confessionarius & Concionator Aulicus peractisq; ritè sacris, in honorem Augustissimi Regis & Eqvestris Ordinis Elephantini memoriam orationem Danicam perelegantem fecit Excellentissimus Eqves Ordinis Danebrogici & Consiliarius Regius Intimus Dn: *Marcus Giöe*, qvâ finitâ & recitatis à Perillustri ac Generosissimo *Vincentio Lerche*, Secretario utriusq; Ordinis & Consiliario Regio Status, Eqvestris Ordinis Elephantini Statutis, totus hic & solennis actus buccinarum clangore & venustâ hilariq; festivitate finitus est, & Sacrarium dehinc reliqverunt omnes & singuli, servato eodem, qvô antè intraverant, ordine gradûs & dignitatis, & conviviô tandem lautè ac opiparè instructô omnes utriusq; Ordinis Eqvites Rex Clementissimus eodem excepit tempore.

Postero die scilicet 5 Julii sex Germaniæ Principes Serenissimi & Celsissimi in Ordinem Elephantinum solennibûs adsciti fuerunt ceremo-

moniis, Dux FRIDERICUS Gotha-Saxonicus, EVERHARDUS LUDOVICUS, Dux Würtembergâ Stutgardenſis, Dux ERNESTUS LUDOVICUS Haſsia-Darmſtadienſis, Dux PHILIPPUS Haſsia-Caſſellanus, Dux FRIDERICUS LUDOVICUS Holſato-Bechenſis, & Dux LEOPOLDUS EVERHARDUS Würtembergâ Mumpelgartenſis, qvorum Legati à Regio Ceremoniarum Magiſtro comiter excepti, & in Sacrarium deducti, ac ſinguli Eqveſtris Ordinis Elephantini veſtibûs induti, ritu ſolenni ſplendidisſima Ordinis ejusdem maximi ornamenta ante ſolium Regium, flexis genibûs à Sacra Regia Majeſtate, eâ, qvâ par erat reverentiâ accepêre. Qvibûs omnibûs rite & magnificè peractis, inſigni ac pompæ plenâ magnificentiâ domum reducti ſunt Celſisſimorum Principum Legati.

Actum hunc ſolennem nuperrimè deſcripſit Ampliſſ: *Wilhelm: Ernest: Tentzelius* Hiſtoriographus Ducalis Saxonicus in Colloqv. Menſt: editis annô 1695 menſ: Novembr. pag: 905: ornamenta verò nova Ordinis Elephantini partim exhibet nummus cuſus an: 1694, in Ordinis Elephantini adaucti memoriam, in cujus anteriore latere videre licet gl: m: Regis CHRISTIANI V Ordinis Elephantini togâ & torqve induti iconem, in adverſo autem ejusdem nummi latere novisſimè adaucta Ordinis Elephantini ornamenta à coelo irradiata, circumſcripto Ordinis Symbolo: *Magnanimi Pretium.* Numisma memoratum hic ſuam refert formam.



Ordinis autem hujus Illuſtrisſimi Elephantini ornamenta ſimul & Eqveſtrem amictum novisſimè à CHRISTIANO V.gl: m: ſplendidè adauctum accuratiùs videre licet in Tabula, qvæ repræſentat memoratum gloriosiſſ: mem: Auguſtisſimum Monarcham CHRISTIANUM V, Eqveſtri ornatu veſtitum. Vid: *Tab: IX.*

CAP. XII.



Tab. IX pag. 84

CAPUT XII.


Statuta Ordinis Elephantini anno 1693 ab Auguſtisſimo gl: m: CHRISTIANO V adaucta hìc recenſentur.


Leges ac Statuta eminentiſſimi Ordinis Elephantini à primâ inſtitutione varia fuerunt, ac multoties etiam à Sereniſſimis Daniæ & Norvegiæ Regibus pro temporum ratione variata. Statuta autem Nobilisſimi hujus Ordinis, prout Anno 1693 Kalendis Decembris ab Auguſtisſimo immortalis memoriæ Monarcha CHRISTIANO V renovata fuerunt ac adaucta, hæc ſunt.


Nos CHRISTIANUS QVINTUS, DEI Gratiâ, Rex Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Palam teſtamur, & univerſis ac ſingulis notum facimus, qvòd, qvemadmodum veteres providâ ſemper meditatione conſiderantes, qvâ ratione compenſari poſſent eorum merita, qvi virtutem animíq; fortitudinem notabiliter præ aliis exſererent, varios honoris gradus conſtituerunt, ut per eos unusqvisq; pro meritis ad gloriam aſcenderet; Qvos inter primus jure collocatur Eqveſtris Ordo, qvò Virtutum exempla ſingulis manifeſtè ante oculos ponuntur, externóq; illo ſigno clarè ſatis docetur, ei, qvi tali modô dignus judicatus eſt, ut in Potentum Principum Coronatorúmq; Capitum familiaritatem admittatur, iſtum honorem propter ingentia glorioſáq; merita contigiſſe; Qvin & alii eô ipſô magis ſtimulantur, ut tantorum virorum veſtigiis inſiſtant, viſôq; præ oculis præmiô, tantò majori ardore in curriculo verſentur, qvantò certius, tactâ metâ, brabéum ſibi polliceri qveant; Accedit, qvod Principes Coronísq; fulgentia capita per hunc interpretem ad concordem fiduciam ac ſinceram amicitiam mutuò inter ſeſe obligentur; Ita & priſci Danorum Reges hæc omnia prudentiſſimè perpendentes ante immenſum tempus Nobiliſſimum Ordinem Eqveſtrem Elephantinum in eundem finem inſtituerunt, qvem Reges & Principes ſingulos ſummo in honore ac veneratione ſemper habuiſſe conſtat. Nobis itaq; præcipuam gerentibus curam, ut prædicto Ordini non ſolùm conſveta, qvam ſemper obtinuit, reverentia ſervetur, ſed & major indies accreſcat dignitas, clementiſſimè placuit, memorati Ordinis Legum & Statutorum longô temporis intervallô per varios Reges variè immutatorum curam ſuſcipere, qvæ ſummâ diligentiâ juſſu no-

ſtro reviſa, excluſis omnibus cum his temporibus, noſtrâq; purâ & integra Religione Evangelicâ minùs convenientibus, prout ſeqvitur, renovare, immutare & adaugere viſum eſt.

I. Nos ſolùm noſtrosq; in Solio Regali Hæreditarios Succeſſores, Daniæ & Norvegiæ Reges, Supremos Nobiliſſimi hujus Ordinis Dominos eſſe, fore & nuncupari volumus.

II. Nobiliſſimi hujus Ordinis Eqvites triginta numero ſunto, præter Ordinis Dominum ejusq; Filios, qvi prædicto numero non includantur, utpote Nobilisſimi hujus Ordinis nati Eqvites.

III. Nemini Nobiliſſ. hunc Ordinem ingredi liceat, qvi 30 ætatis annum ſupergreſſus non fuerit, exceptis Ordinis Domini Conſangvineis Filiisq; naturalibus, qvi, completis viginti annis, admitti poſſunt.

IV. Nobiliſſimi hujus Ordinis Socios dextrô latere qvotidie geſtare volumus Elephantem purô conſtantem aurô, albóq; pictum encauſtô, qvi dorsô Caſtellum, collô Æthiopem ſagittam manu tenentem, ſedentémq; ad radicem Caſtelli, atq; latere crucem adamantinam feret; Elephantem ſuſtinebit faſcia ſerica coloris coerulei ex ſiniſtro dependens humero. Tunicæ autem ſiniſtrum, qvà pectus tegit, ſtella ornabit argentea acu picta, octo conſtans radiis, in cujus medio erit crux argentea acu picta, rubro villoſi ſerici plano innitens.

V. Congregationis Feſtô Eqvites ſolennem habitum induti torqvem aureum geſtare debent, qvi collari Togæ ſuperimpoſitus geſtantis collum vinciet, conſtabitq; ex Elephantis & Caſtellis aureis; ſinguli Elephantes ſtragulum ferent coeruleo pictum encauſtô, aureisq; circumdatum ſegmentis, cui ex auro inducetur D Latinum, vocem (Dacia) denotans; Bini Elephantes, proboſcidem ſibi invicem obvertentes, Caſtellô unô concatenabuntur, binisq; Elephantorum caudis mutuò ſibi oppoſitis itidem Caſtellum unum internectetur; Et cum prædictum torqvem geſtant, Inſigne hujus Ordinis de duorum Elephantorum proboſcidibus parvulâ catenâ annexum in medio pectoris pendebit.

VI. Ordinis Domino hujusmodi eſt habitus: Thorax braccæq; ſuccinctæ ex albo panno, cui argentum intextum eſt, cum tæniis aureis ſuturas celantibus. Tibialia ex ſerico Margaritarum imitantia colorem, cum periſcelidibus aureis acu pictis. Pileus Romanus villoſô ſericô nigri coloris velatus, ac plumis albis Criſtâq; nigrâ inſignis. Toga è villoſô ſericô coccinei coloris, densóq; ac ſplendenti ſericô albi coloris

loris & perforatô ſuffulta, cui longum erit ſyrma, amplum circa humeros Collare, limbusq; oras ejusdem ſummas atq; imas circumqváq; ambiens; Omnia è prædictô albô & perforatô ſericô. Stella, cujus mentio articulô 4 facta eſt, duplo major hìc erit illâ, qvam Tunica præfert, ſiniſtræq; Togæ parti annectetur; Anteriùs de pectore binæ versùs terram propendent chordæ ex auro contextæ, in faſciculum utrinq; deſinentes;

Conſimilis eſt huic Eqvitum reliqvorum omnium habitus, exceptô qvòd

I. Thorax braccæq; eorum ex albo ſerico aureis floribus diſtincto confectæ ſint. II. Pileus plumis albis rubrisq; cum niveâ Criſtâ ornetur. III. Binæ illæ de anteriori togæ parte ſupernè dependentes chordæ cum faſciculis ſuis ex auro coccineiq; coloris ſericô ſint contextæ. IV. Soli Principes longiori ſyrmate, Eqvites reliqvi omnes breviſſimô utuntur.

VII. Ordinis Socii ſub inſignibus ſuis gentilitiis Ordinis teſſeram, nempe Elephantem de torqve Ordinis coeruleâve ejusdem faſciâ pendulum, qvamdiu vivunt, præferre tenentur, ut omnibus palam fiat, illos Ordinis hujus Socios eſſe.

VIII. Unusqvisq;,qvi in Nobiliſſimum huncce Ordinem admittitur, pro Ordinis Domini, Daniæ & Norvegiæ Regis, juribus Majeſtatis, gloriâ & regnis propugnet, verbi Dei Miniſtros verámq; Evangelicam Religionem defendat, pauperes, viduas & Orphanos protegat, Dei gloriam, Nobiliſſimiq; hujus Ordinis dignitatem ſummô conamine promoveat, omniáq; & ſingula horum Ordinis Statutorum verba, clauſulas & puncta obſervet.

IX. Unicuiq; Ordinis Socio in Ordinem recens recepto Diploma, qvale hujus Nobiliſſ: Ordinis Eqvitibus dari ſolet, Latinâ confectum lingvâ, Ordinisq; Domini manu & ſigillo Ordinis munitum tradi volumus, unde, qvo tempore Ordini ſit inſcriptus, conſtare poſſit.

X. Volumus etiam Nobiliſſimum hunc Ordinem Sigillum habere peculiare, cujus unum latus præferet Ordinis Domini, Daniæ & Norvegiæ Regis, Inſignia, qvæ faſcia illa Eqveſtris, eiq; ſuperimpoſitus Ordinis Torqves circumcingent; Infra Inſignia de prædictâ faſciâ pendebit Elephas ſuo inſtructus apparatu. Alterum verò ſigilli latus Elephantem repræſentabit, prout articulô 4 deſcribitur, expreſſum campóq; inſiſtentem viridi; ſupra Caſtellum extabit Ordinis Symbolum, vide-

delicet, *Magnanimi Pretium.* Inq; circuitu ad exteriorem Sigilli oram, hæc verba: *Magnum Sigillum Nobilisſimi Ordinis Elephantini.*

Hoc ipſum Sigillum rubræ ceræ impreſſum pyxidi includetur eburneæ circularis formæ, ac tæniæ ex auro coccineiq; coloris ſerico contextæ alligabitur.

XI. Nobilisſimi hujus Ordinis Societati poſthac tantùm inſcribentur Reges & Principes Extranei, Evangelicam Religionem profitentes, Ordinis Domini intimi Conſiliarii, ſummi Miniſtri, præcipui militiæ Præfecti, Ordinisq; Danebrogici Eqvites; proviſò tamen, qvod ſint Religionis Evangelicæ, atq; in Ordinis Domini commodum bellicis rebus aliove modo virtutem ſuam & fidelitatem adeò declaraverint, ut univerſo mundo & Ordinis Sociis manifeſtè appareat, Ipſeq; Ordinis Dominus judicet, illos dignos eſſe, qvi in eminentisſimi hujus Ordinis ſocietatem admittantur.

XII. Ordinis Dominus, compertô, locum aliqvem in Ordinis ſocietate vacare, proximos Ordinis Socios convocabit, ut loco & tempore definitis compareant, ac de alicujus perſona deliberent, qvi dignus ſit vacantem in Ordine locum occupare.

XIII. Dicti Ordinis Socii Virum proponent, qvem virtute ſuâ in Nobilisſ: hujus Ordinis Societate locum meruiſſe ſincerâ mente judicent, nec de ullo, niſi tam benè merito, amicitiâ vel cognatione inducti conſilium dabunt; Et in hunc finem aliqvot Virorum nomina chartæ inſcribant, eáq; ſub manibus ſuis & Sigillis Ordinis Domino præſentent, ut ex propoſitis aliisve ex proprio arbitrio aliqvem eligat.

XIV. Nemo in Nobilisſ: hunc Ordinem recipietur, qvi Ordinis Danebrogici Eqves antea non fuerit creatus; Si contingat, ut Ordini huic nominatim deſtinetur, qvi illius antehac nondum fuit particeps, absq; ullâ ſolenni Ceremoniâ eundem ſuſcipiet octo ante dies, qvàm Elephantinum adipiſcatur; Cùm autem in hunc admittitur, Ordinis Danebrogici Inſigne deponere, illudq; Ordinis Secretario, Apochâ ejus mutuò receptâ, tradere tenetur.

XV. Qvando ſolenni cum Ceremonia aliqvis Eqves creari debet, juxta Ceremonialem hujus Ordinis ritum agere conveniet.

XVI. Omnis in Nobilisſ: hunc Ordinem receptus ab Ordinis Domino, cùm ad eum ſcribat, DOMINI titulô compellabitur.

XVII. Omnis

XVII. Omnis Ordinis Domini ſubditus in Nobiliſſ: hujus Ordinis ſocietatem receptus qvemvis alium Ordinem, ſi fortè qvem habuerit, deponere atq; hunc ſolùm geſtare tenetur.

XVIII. Qvicunq; in Nobiliſſ: hujus Ordinis ſocietatem poſthâc intromittitur, nullum alium in poſterum ſuſcipere, aut præ ſe ferre Ordinem tenebitur, ſi Ordinis Dominus hac in re non conſentiat; Qvi autem ab Ordinis Domino conſenſum hunc ac licentiam impetravit, dum in Regnis Regionibusq; Ordinis Domino ſubjectis moratur, alios illos Ordines ab aliô qvocunq; Ordinum Dominô in ſe collatos deponere, & hunc ſolummodò geſtare tenetur.

XIX. Unusqvisq; in Nobiliſſ: hunc Ordinem receptus ab Ordinis Secretario accipiet Ordinis legum apographum fideliter cum Originali collatum, Ordinisq; Sigillô, & Ordinis Secretarii ſubſcriptione roboratum.

XX. Is, qvi ab Ordinis Domino Eqves conſtitutus eſt, Secretario Ordinis Inſignia ſua gentilitia vivis ſuis coloribus depicta, ut & Symbolum ſuum tradet, qvæ omnia in æneâ præſcriptæ magnitudinis & in formam clypei fabrefactâ laminâ deinceps depingentur, atq; in Sacello Ordinis, qvod Fridericoburgi eſt, ſupra ſedem Eqvitis in ipſius honorem ſuſpendentur.

XXI. Unicuiq; Eqviti in Sacello Fridericoburgenſi certa aſſignetur ſedes; Ordinis Domini ſedes in mediô erit, & ab utroq; latere reliqvorum Eqvitum ſedes, qvibus Feſto Congregationis inſidere debent.

XXII. Ut autem inter Ordinis Socios nulla de præcedentia oriri posſit controverſia, unusqvisq; Ordinis Socius in omnibus Ordinis Conventibus eô ordine ſedeat & procedat, qvô Ordinis ſocietati inſertus eſt; & ſi plures eodem die Ordine fuerunt inveſtiti, ille ſemper ſuperiorem obtineat locum, qvi ab Ordinis Domino Inſigne Ordinis primò accepit; hoc tamen habito diſcrimine, qvod Electores inter ſe, Principes inter ſe, & alii Eqvites inter ſe hoc ita obſervent, & qvod Electores & poſt eos Principes omnes ſuperiora præ omnibus aliis Eqvitibus loca obtineant.

XXIII. Congregationis Feſtum Fridericoburgi qvotannis celebretur tertiô Pentecoſtes; Omnesq; Ordinis Elephantini Eqvites, qvotqvot adſunt, hôc die habitum Eqveſtrem induti à deſtinato conclavi ad Sacellum Ordinis eô, qvi inferius explicabitur, ordine procedant, ſedes ſuas occupent, ſacra antemeridiana audiant; his finitis, in idem Concla-

ve ſeſe conferant, ibíq; maneant, donec ad menſam accerſantur, ubi integro Eqveſtri habitu veſtiti aſſidere debent ; Eôdem etiam die Dominus Ordinis integrum ſuum habitum Eqveſtrem indutus cum Ordinis Sociis diſcumbet ; Præterea omnes, qvi adſunt, Eqvites tribus annuatim diebus, nempe tertio Natalis Chriſti, tertio Paſchatos, & Natali Ordinis Domini die Torqvem Ordinis cum Elephantô inde pendulô, loco faſciæ coeruleæ, ſolitas induti veſtes geſtare debent.

XXIV. Sacram concionem, resq́; coram altari divinas eodem die peragat Ordinis Domini Confeſſionarius, qvibus omnibus finitis, unus Ordinis Sociorum, vel Ordinis Dannebrogici Eqvitum, in Ordinis Domini gloriam & Ordinis laudem Orationem intra templum habeat.

XXV. Proceſſus à conſtituto Conclavi ad Sacellum, & iterum à Sacello ad prædictum Conclave faciendus hôc ordine fiat; Primò bini Ordinis Præcones habitum ipſis aſſignatum induti procedant, his proximi Ceremoniarum Magiſter & Ordinis Secretarius progrediantur eô veſtiti amictu, qvi Art: 40 deſcribitur. Seqvantur Ordinis Dannebrogici Eqvites veſtimentis ſolitis cum torqve Ordinis induti, & duo ſimul incedentes, impari autem ſi fuerint numero, tres primô ordine: Poſt hos Ordinis hujus Socii duo ſimul procedant eô ordine, qvem Art. 22 exhibet; hos excipiant Ordinis Domini juniores natu filii, duo ſimul, ſi tot adſint, ſolus autem, ſi unicus modò extet; hinc Ordinis Domini primogenitus Filius ſolus progrediatur, omnesq; recenſiti habitum 6 Art: definitum geſtent. Deinde Regis ſupremus Aulæ Mareſchallus baculum officii manu præferens incedit, Pileum ipſius rubræ & flavæ jacentes plumæ triplici ſerie condecorent ; &, abſente ſupremô Aulæ Mareſchallô, vicem ejus ſupremus Cubicularius impleat. Ultimò à qvatuor Cubiculi Præfectis rubrum umbraculum è villoſo ſericô factum geſtatur, ſub qvo Ordinis Dominus ſolus ingreditur, veſtitus prout in 6 habetur Art:, Syrma togæ ipſius à ſeniori in officio Cubiculi Præfectô tunc præſente ſublevatur ; Utrumq; umbraculi latus muniunt qvatuor Ordinis Dannebrogici Eqvites ab Ordinis Domino ad hoc deſtinati, qvi prædictis qvatuor Cubiculi Præfectis adjumento eſſe debent: hos omnes ſatellites Regii cingunt, & poſt Ordinis Dominum ſeqvuntur omnes, qvos ſeqvi vult, ſupremi Miniſtri, nullo certo ordine obſervato.

XXVI. Sacris Congregationis Feſtô in Sacello finitis, Ordinisq; Sociis in deſtinato congregatis Conclavi, Secretarius Domino Ordinis referat, ſi qvis Ordinis Sociorum contra haſce leges & Statuta aliqvid deliqverit etc.

XXVII. Non

XXVII. Non licet Elephantem torqvemve, qvibus Ordinis Dominus aliqvem investivit, mutare, vendere, abalienare, commodare, oppignorare, in debiti solutionem alicui tradere, aut dono dare, qvocunq; demum prætextu id fiat, sive ob inopiam, sive alias ob causas, sed ab Eqvite, qvamdiu vivit, diligenter asservari debet.

XXVIII. Nulli Ordinis Domini subdito in Nobiliss: hujus Ordinis societatem elevato licet citra Ordinis Domini concessionem sub extraneo qvoqvam Principe militare, vel longinqva suscipere itinera; Permissionem autem ab Ordinis Domino humillimè flagitans repulsam non feret, nisi illius ministerio ipse Ordinis Dominus indigeat; Extraneis verò in Nobiliss: hunc Ordinem receptis, qvi Ordinis Domini imperio non subsunt, ubicunq; velint, nisi contra ipsum Ordinis Dominum, exceptis tamen casibus Art: seqventi recensendis, castra seqvi licitum esto.

XXIX. Si Ordinis Dominum extraneo Principi, cujus unus pluresve subditi ex Ordinis Sociis sunt, bellum inferre contingat, tali Eqviti Eqvitibusve citra ullam honoris & fidei jacturam dedecorisve famam, qvasi contra Ordinis Dominum, aut Nobilissimi hujus Ordinis Leges & Statuta aliqvid deliqvissent, Dominum suum patriámq; defendere licet; si verò ejusmodi Eqvitis aut Eqvitum Dominus Ordinis Domino bellum inferat, ab hujusmodi expeditione supersedere debent, nisi à suo Domino ad eam subeundam cogantur: Tali enim incidente casu, illius copiis inesse licet, eâ tamen conditione, qvòd eorum Dominus in propriâ personâ castra seqvatur, ipsiq; Ordinis Domino sub manibus suis & sigillis maturè id denuntient.

XXX. Si unus pluresve Eqvites duorum extraneorum Principum inter sese bella gerentium servitiò detineantur, unusq; eorum vel plures in hostium potestatem perveniant, tum ille illivé Eqvites, qvi factioni Ordinis Socium comprehendenti intersunt, omnem curam adhibere debent, ut libertati restituatur.

XXXI. Si inter duos Eqvites discordiam vel litem aliqvam horum tantùm personas concernentem oriri contingat, Ordinis Socii, qvibus controversia innotuit, Ordinis Dominum hujus rei certiorem mox facere debent, ut partibus contrariis privatâ vindictâ interdicat, atq; coram præsentibus Ordinis Sociis, utriusq; rationibus auditis, inter eas decernat, cujus judiciô acqviescere tenentur.

XXXII. Nec ulli Ordinis Socio cum alio Ordinis Socio duellô congredi licet, sed injuriam passus coram Ordinis Domino conqveratur, ut, illo Judice, satisfactionem reportet.

XXXIII. Nulli

XXXIII. Nulli Ordinis Socio absq; Ordinis Insigni publicè versari licet, sub viginti ducatorum auri, pauperibus Hillerodii prope Fridericoburgum solvendorum mulctâ; Si verò Ordinis Insigne penitus deponat, ut integro anno illud non gestâsse constet, ab Ordinis Societate rejiciatur, utpote qvi Nobilissimo hoc Ordine ulterius includi semet ipsum indignum fecit.

XXXIV. Nemo honore, vita, vel totîs rebus suis condemnatus, etiamsi post comdemnationem poena illi remittatur, in Nobilisſ: hunc Ordinem admittetur, nec qvi citra evidentem vim summamq; necessitatem in aliqvô conflictu fugiens cohortem suam & stationem deseruit, nec qvi ob aliqvod infame scelus diffamatus est; Qvod si qvem in Ordinem admissum horum qvædam commisisse, aut ab Evangelicâ religione ad alienam transiisse probetur, continuò ex Ordine rejiciatur.

XXXV. Si qvis inter Ordinis Socios alicujus criminis ab Ordinis Domino reus judicetur, damnatusq; ab Ordine excludatur, tunc Secretarius Insigne Ordinis à criminoso, si subditus est, & de ipsô præsenti sententia dicta est, mox exigere debet citra omnem contradictionem ab illo sibi tradendum etc.

XXXVI. Ordinis Socio aliqvo ex Ordine rejecto, Insignia illius à loco suo removeantur, diesq; & annus, qvô rejectus est, Matriculæ Eqvitum, ut & causa diminutionis Protocollo Ordinis inscribantur.

XXXVII. Mortuo aliqvo Ordinis Sociô, Insignia illius similiter à sede ejus afferri debent, & destinato loco deinde suspendi.

XXXVIII. Ordinis Socio aliqvo decedente, hæredes illius intra trium mensium decursum Ordinis Secretarium de morte ejus certiorem facere, simulq; ipsi Insigne & Statuta Ordinis, nec non Torqvem, si eundem ab Ordinis Domino Eqves prædictus acceperat, remittere debent, receptâ ejus apochâ, qvâ in posterum legitimè se tueri poterunt; Si fortè contingat, ut Insigne Ordinis desideretur, aliud huic par restituere tenentur; Sin verô in bellô aliôve infortunatô casu Eqves obierit, unáq; cum eo Insigne Ordinis ablatum fuerit, omni ejus ulteriori restitutione liberati sunto.

XXXIX. Mortuô aliqvô Eqvite, Insigne Ordinis rubrum super pulvillum è serico villoso factum, arcæ funereæ, dum in ædibus detinetur, imponi, posteáq; in exseqviis, (si publicis ceremoniis peragantur) per unum ad id destinatum Mareschallum ante funus in demortui gloriam fer-

ferri debet: Mareſchallum iſtum proximè ſeqvantur Ordinis Miniſtri, atq; poſt hos Ordinis Socii, qvotqvot adſunt; Ipſorum autem Eqvitum corpora talibus ceremoniis ſepelire licet, qvales demortuorum honori juſtos cognati arbitrantur ſuperſtites.

XL. Unum eſſe volumus Ceremoniarum Magiſtrum, & unum Secretarium Ordinis, qvibus Miniſteriis non adhibendi ſunt alii, qvàm qvi Inſignibus Gentilitiis dotati ſunt; Qvando autem officia hæc ingrediuntur, certum iis ab Ordinis Domino confertur ſignum Ordinis, qvod, dum Ordinis Miniſtri ſunt, ab albâ faſciâ rubris oris circumdatâ uniq; ex globulorum tunicæ foraminibus alligatâ in medio pectoris pendulum qvotidie geſtabunt; In omni præterea Ordinis Congregatione Eqveſtrem Ordinis Dannebrogici habitum, cum pileo triplici plumarum albarum ſerie ornatô, induti ſunto.

XLI. Ceremoniarum Magiſtri officium erit, qvando publicâ qvis ceremoniâ Eqves creatur, ut & anniverſariô Congregationis Feſtô curam gerere, ut debitis in locis omnia ritè præparata ſint etc.

XLII. Secretarii Ordinis officium erit, patentes Literas, qvæ ab Ordinis Domino Eqviti donantur, expedire, & in margine ſubſignare; præterea Eqveſtrem habebit Matriculam, cui Eqvitis uniuſcujusq; nomen, titulum, & tempus, qvô in Ordinem receptus eſt, inſcribere, deinde Inſignia illius Gentilitia vivis ſuis coloribus depicta cum Symbolo adjuncto, nec non prædictas Literas patentes inſerere debet etc.

XLIII. Erit etiam ipſi certum Ordinis Protocollum, in qvo annotabit, qvô qvisq; tempore in Ordinem receptus ſit, utrum ceremoniis factum ſit illud nec ne etc.

XLIV. Unumqvemq;, qvi in Nobilisſ. hunc Ordinem cooptatur, admonebit, ut pauperum Hillerodii prope Fridericoburgum, ſecundum propriam generoſitatem memor ſit etc.

XLV. Erit qvoq; ipſi curæ, cum in Nobilisſ. hujus Ordinis Societatem intromittitur aliqvis, ut Inſignia ejus Gentilitia & Symbolum extradantur, ac ſuper ſedem ejus in Sacello Ordinis ſuſpendantur; Horum præterea Statutorum apographum Sigillô Ordinis & ſubſcriptione ſuâ roboratum exhibebit Eqviti, etc.

XLVI. Si fortè ex Ordinis Sociis aliqvis contra haſce Leges deliqverit, Congregationis Feſtô hoc Ordinis Domino, ſecundum ea, qvæ Art: 26 habentur, referet etc.

XLVII. Insignia Ordinis, qvæ ipsi post mortem Eqvitum traduntur, Ordinis Domino restituet, ac pro restitutis qvotannis apocha ipsi communicabitur.

XLVIII. Ordinis Præcones binos esse volumus, qvi, cum publicà aliqvis ceremoniâ Eqves constituitur, nec non anniversariò Congregationis Festò, qvotiésq; alia Ordinis negotia ipsis injunguntur, in habitu Præconibus consvetò comparere debent, deaurata sceptra manibus gestantes, pileosq; rubris plumis ornatos induti.

XLIX. Reges, Electores & Principes sine ulla prædictos Articulos observandi necessitate, in Nobilisf. hujus Ordinis Societatem admitti possunt, cùm speret Ordinis Dominus, eos benevolè tantùm fidáq; amicitiâ secum acturos, Evangelicam Religionem defensuros, atq; Nobilisf. hujus Ordinis dignitatem curaturos.

L. Horum Articulorum Autographum Ordinis Sigillo munitum in Ordinis Domini, Daniæ & Norvegiæ Regis, Archivis asservari volumus, eumq; secundum temporum circumstantias illos pro arbitrio immutandi & adaugendi potestatem habere. Datum in Arce nostrâ Regiâ Hafniæ, Kalendis Decembris, Anno Christi Millesimo, Sexcentesimo, Nonagesimo Tertio, Regni Nostri Vigesimo Qvarto.

Anno 1698. d. 26 Augusti Potentisfimus Rex gloriosæ memoriæ CHRISTIANUS V clementisfimè decrevit, ut Torqvem Ordinis diebus illis, qvorum mentio facta est in Statutis Regiis Art. XXIII, si eôdem tempore in regnis ac regionibus Ordinis Domino subjectis præsentes sint, sive in Regia aula adsint, sive non, nec non die tertio Pentecostes, solitas induti vestes, Eqvites gestare debeant: Eqvites autem, qvando solennis aliqva Ordinis Congregatio ceremoniali ritu aliàs habenda est, hac de re certiores facere velit Ordinis Dominus.

Anno 1701. d. 31 Aprilis ab Augustisfimo Monarcha FRIDERICO IV clementisfimè sancitum est, ut loco diei XV Aprilis die XI Octobris Torqvem Ordinis Eqvites gestare teneantur.

CAPUT XIII.

I. De Ordinis Elephantini ac Eqvitum splendore et gloria. II. De Ordinis Domino, Sociis ac Eqvitibus, eorumq; Symbolis, nec non Sciagraphia Eqvestris Sacelli Fridericiburgensis. III. De Ordinis Ministris.

Sect. I.

Sectio I.



Non prolixi erimus enumerando Serenisſimos inclytisſimi Ordinis Elephantini Socios atq; Illuſtrisſimos Eqvites. Reges, Electores, Principes qvamplurimos, Marchiones, Comites & Illuſtrisſimos Megiſtanes in ſplendidisſimam Regii hujus Ordinis Societatem olim cooptatos fuiſſe tam notum eſt, qvàm qvod notisſimum. Potentisſimum Angliæ Regem HENRICUM VIII, nec non Serenisſimum Regem Scotiæ JACOBUM V Ordine Elephantino donatos fuiſſe ab Auguſtisſimo JOHANNE gl. m. Rege Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ teſtantur *Owenius Bilde*, G. *Pierreville*, nec non *Elias Ashmole*. Alibi forſitan in *Heroico* Eqvitum Ordinis Elephantini *Theatro* uberior de illuſtribus ac Heroicis eorundem geſtis diſſerendi dabitur occaſio, cùm hâc vice Eqveſtre Ordinis Elephantini Breviarium à nobis ſolùm exhibeatur. Juxta novisſima Ordinis Elephantini Statuta Regia Cap. XII adducta Triginta erunt Ordinis hujus Socii præter Auguſtisſimum Ordinis Dominum, ejusq; Filios ac Serenisſimos regnorum Daniæ & Norvegiæ Principes Hæreditarios, utpote Ordinis hujus natos Eqvites, & Illuſtrisſimæ Ordinis Societati poſt hàc tantùm adſcribentur Reges, & Principes Extranei, Evangelicam religionem profitentes, Ordinis Domini Intimi Conſiliarii, Summi Miniſtri, præcipui militiæ Præfecti, Ordinísq; Danebrogici Eqvites.

II.

Ut autem brevitati conſulatur, recenſere hìc convenit Serenisſimos Ordinis Elephantini Socios, nec non Illuſtrisſimos Eqvites hoc tempore degentes, eorumq; Symbola ac Inſignia, qvippe qvæ in ſplendidisſimo ac Regio Sacello Eqveſtri Fridericiburgenſi circa Regium Auguſtisſimi Monarchæ FRIDERICI IV glorioſisſime imperantis Thronum diſpoſita ac ſuſpenſa, ſcutisq; impreſſa videre licet. Memorati autem Sacelli Eqveſtris, qvod in ſuperiori magnificentisſimè exſtructi Templi Fridericiburgenſis parte verſùs aram ſitum eſt, ideam æri inciſam Tabula X repræſentat.

Supremus Ordinis Elephantini DOMINUS
hodie regnat
Auguſtisſimus ac Potentisſimus
Monarcha,

FRIDERICUS QVARTUS,

Rex Hæreditarius Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorſt.
Symbolum ac Inſignia Sacræ Regiæ Majeſtatis vide Tab. XI.

Se-

Serenissimi Augustissimæ Regnatricis Domus Principes Hæreditarii, utpote Ordinis Elephantini nati Eqvites, seqventes sunt.

Serenissimus Princeps ac Dominus CHRISTIANUS, Princeps Hæreditarius Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorst.
Insignia Regiæ Celsitudinis vide Tab. XI.

Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus CAROLUS, Princeps Daniæ & Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Coadjutor Episcopatus Lubecensis, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorst.
Symbolum & Insignia vide Tab. XI.

Serenissimus Princeps ac Dominus WILHELMUS, Princeps Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorst.
Symbolum & Insignia vide Tab. XI.

Serenissimus Princeps ac Dominus GEORGIUS, Princeps Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq;, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorst.
Symbolum & Insignia vide Tab. XI.

Serenissimi Ordinis Elephantini Socii atq; Illustrissimi Eqvites, hâc tempestate superstites, salvâ unicujusq; præcedentia ac prærogativâ, juxta annorum ac dierum seriem, qvâ inclytissimum hunc Ordinem adepti sunt, nec non eorundem Symbola ac Insignia hic seqvuntur. Vid. Tab. XII, XIII, XIV.

I. Serenissimus Princeps ac Dominus Dn. CAROLUS, Landgravius Hassiæ, Princeps Hirschfeldiæ, Comes Cattimelibocensium, Diezensium, Zigenhainensium, Niddanorum & Schaunburgensium. An. 1667 d. 26 Jun.

II. Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus Dn. AUGUSTUS FRIDERICUS, Hæres Norvegiæ, Episcopus Lubecensis, Dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorst. An. 1667 d. 24 Octobr.


III. Serenissimus Princeps ac Dominus Dn. CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenburgensis, Magdeburgi, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum ac Vandalorum, nec non in Silesia, Crosnæ & Carnoviæ Dux, Burggravius Norimbergensis, Princeps Halberstadii, Mindæ & Camini. An. 1668 d. 28 Martii.

IV. Po-



G Mönchen delin.

SACELLUM REGIUM EQUE



TRE FRIDERICIBURGENSE. *Joh. Friedlein sculp. Hafn. 17..*

Tab X p.14.


DOMINUS MIHI ADJUT
FRIDERICUS IV Rex Daniæ et Norvegiæ &c. Dominus Ord
CONSILIO ET VIRTUTE
CHRISTIANUS Princeps Daniæ & Norvegiæ
CAROLUS Princeps Daniæ et Norvegiæ &c.
VIRTUTE ET TEMPORE
INTEGRITATE ET PATIENTIA
WILHELMUS Princeps Daniæ et Norvegiæ &c.
GEORGIUS Princeps Daniæ et Norvegiæ &c.

Tab XI. pag. 96.

INSIGNIA
ET
SYMBOLA
EQUITUM ORDINIS ELEPHANTINI




CAROLUS *Landgravius Hassiæ Cassellan: 1667. 26. Junii.*



AUGUSTUS FRIDERICUS *Episcopus Lubecensis. 1667. 24. Octob:*



CHRISTIANUS ERNESTUS *Marchio Brandenburgensis. 1668. 28. Mart.*




FRIDERICUS Rex *Borussiæ. 1678. 28. Novembr.*



GUSTAVUS WILHELMUS *Comes de Wedel. 1679. 11. Martii.*



FRIDERICUS *Landgravius Hassiæ Homburgensis. 1680. 29. Junii.*



CONRADUS *Comes de Reventlou. 1681. 1. Julii.*



FRIDERICUS MAGNUS *Marchio Baden: Durlacensis 1682. 26. Julii*



CHRISTIANUS EBERHARDUS *Princeps Frisiæ Orientalis. 1682. 3. Novembr.*

Tab. XII pag. 96

J. Friedlein fec. 1704



FRIDERICUS AUGUSTUS
Rex Poloniæ 1686 24. Septembr.



FRIDERICUS
Comes ab Aleſeldt. 1688. 31 Julii.



ANTONIUS ULRICUS *Dux Brunsw*
et Lunæburg: Wolfenbüttelens 1693 9 Januarii



FRIDERICUS *Dux Saxoniæ*
Gothanus. 1694. 5. Julii.



EBERHARD' LUDOVIC' *Dux*
Wirtenbergæ Stutgardens: 1694. 5. Julii.



ERNESTUS LUDOVICUS *Land:*
gravius Haſſiæ Darmſtadiens 1694. 5 Jul.



PHILIPPUS *Landgravius*
Haſſiæ Caſſellanus 1694. 5. Julii.



FRIDERICUS LUDOVICUS *Dux*
Holsatiæ Beckensis 1694. 5. Julii.



LEOPOLDUS EVERHARDUS
Dux Wirtenb. de dom. Montispelgard: 1694 5 Julii



ULRICUS CHRISTIANUS
de Güldenlöwe. 1695. 26. Martii



WILHELMUS *Princeps Anhal:*
tinus Hatz Gerodensis 1695. 7. Decemb



CHRISTIANUS SIEGFRIEDUS
de Pleſſen 1695 7 Decembr.

Tab. XIII. pag. 96.

J. Friedlein fec. 1704



HENRICUS *Dux Saxoniæ Römhildensis.* 1696. 19. *Januarii.*



ALBERTUS ERNESTUS *Princeps Oetingensis.* 1698. 22. *Januarii.*



JOHANNES GEORGIUS *Dux Saxoniæ Weißenfelsensis.* 1698. 19. *Sept:*



AUGUSTUS WILHELMUS *Dux Brunswic: et Lunæb: Wolffenbüttel:* 1699. 9. *Aug:*



FRIDERICUS *Landgravius Hassiæ Casselanus.* 1700. 27. *Maji*



JOHANNES AUGUSTUS *Princ: Anhalt: Servestensis.* 1701. 28. *Octobr.*



FRIDERICUS WILHELMUS *Dux Mechlenburgensis.* 1703. 28. *Febr:*



JACOBUS *Baro de Wassenaer.* 1703. 21. *April:*



CAROLUS RUDOLPHUS *Dux Wirtenberg: Neustadiens.* 1703. 27. *Apr:*



CAROLUS *Comes ab Ahlefeldt.* 1703. 27. *April:*

Tab: XIV. pag. 96.

J. Friedlein fec. 1704

IV. Potentisſimus ac Serenisſimus Princeps ac Dominus FRIDERICUS, Rex Borusſiæ, Marchio Brandenburgenſis, S. R. J. Archi-Camerarius & Elector, Magdeburgi, Cliviæ, Juliæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum & Vandalorum, nec non in Sileſia Croſnæ Dux, Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindæ & Camini, Comes in Hohenzollern, Marca & Ravensbergâ, Dominus de Ravenſtein, Lavenburg & Bütow. An. 1678 d. 26 Novemb.

V. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus Dn. GUSTAVUS WILHELMUS, Comes de Jarelsberg, Baro de Weddel, Dominus de Evenburg, Ratz & Nörnberg, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, Sacræ Reg. Majeſt. Daniæ & Norvegiæ Campi-Mareſchallus, Comitatuum Oldenborgenſis & Delmenhorſtenſis Gubernator, An. 1679 d. 11 Martii.

VI. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS, Landgravius Hasſiæ, Princeps Hirſchfeldiæ, Comes Cattimeliboeenſium, Diezenſium, Ziegenhainenſium, Niddanorum, Iſenburgenſium, Schaumburgenſium & Budingenſium. An. 1680 d. 29 Jun.

VII. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus Dn. CONRADUS Comes de REVENTLOW, Dominus de Clausholm, Callöe, Friſenwold & Löyſtrup, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, Sacræ Reg. Majeſt. Cancellarius Magnus, Conſiliarius Intimus & Provincialis, Cubiculi Præfectus, Summus Venationis Regiæ & Præfecturæ Hadersleblenſis Gubernator. An. 1681 d. 1 Julii.

VIII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS MAGNUS, Marchio Badenſis & Hochbergenſis, Landgravius Sauſenbergiæ, Comes de Spanheim & Eberſtein, Dominus de Röteln, Badenweiler, Lahr & Mahlberg etc. An. 1682 d. 26 Julii.

IX. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. CHRISTIANUS EBERHARDUS, Princeps Friſiæ Orientalis, Dynaſta Eſlenenſis, Ratisdorpii & Witmundæ etc. An. 1682 d. 3 Novembr.

X. Potentisſimus ac Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Rusſiæ, Borusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Voliniæ, Podoliæ, Podelasſiæ, Livoniæ, Smolensko, Severiæ & Czernichoviæ, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Veſtphaliæ, S. R. J. Archi-Mareſchallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, nec non Superioris, Inferiorisq; Luſatiæ, Burggravius Magdeburgenſis, Principali Dignitate Comes Hennebergicus, Comes Marcæ, Ravensbergæ & Barby, Dominus Ravenſteniæ. An. 1686 d. 24 Septembr.

XI. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus FRIDERICUS, Comes ab AHLEFELDT, Langeland & Rixingen, Baro de Mörsburg, Dominus de Segard, Gravenſtein & Wiltnis, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, S. R. M. Conſiliarius Intimus & Provincialis, Regius Ducatuum Slesvici & Holſatiæ Vicarius, Cubiculi Præfectus, Gubernator Dithmarſiæ etc. An. 1688 d. 31 Jul.

XII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. ANTHONIUS ULRICUS, Dux Brunſvicenſium & Luneburgenſium etc. An. 1693 d. 9 Januarii.

XIII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Principali Dignitate Comes Hennebergicus, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus Ravenſteniæ & Tonnæ. An. 1694 d. 5 Julii.

XIV. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. EBERHARDUS LUDOVICUS, Dux Wurtembergenſis & Teccenſis, Comes Montisbelicardienſis, Dominus de Heidenheim. An. 1694 d. 5 Jul.

XV. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. ERNESTUS LUDOVICUS, Landgravius Hasſiæ, Princeps Hirſchfeldiæ, Comes Cattimelibocenſium, Diezenſium, Ziegenhainenſium, Niddanorum, Schaumburgenſium, Iſenburgenſium & Budingenſium. An. 1694 d. 5 Jul.

XVI. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. PHILIPPUS, Landgravius Hasſiæ, Princeps Hirſchfeldiæ, Comes Cattimelibocenſium, Diezenſium, Ziegenhainenſium, Niddanorum & Schaumburgenſium. An. 1694 d. 5 Jul.

XVII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS LUDOVICUS, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ, Comes in Oldenborg & Delmenhorſt. An. 1694 d. 5 Julii.

XVIII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. LEOPOLDUS EBERHARDUS, Dux Wurtembergenſis, Teccenſis & Chaſtillonienſis, Comes Montisbelicardienſis & Collignienſis, Dominus de Heidenheim. An. 1694 d. 5 Julii.

XIX. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus Dn. ULDARICUS CHRISTIANUS GYLDENLöWE, Dominus de Comitatu Samsöe, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, S. R. M. Archithalaſſus & Cubiculi Præfectus, Islandiæ Gubernator Primarius, & Summus Rei Veredariæ in Norvegia Præfectus. An. 1695 d. 5 Mart.

XX. Se-

XX. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. WILHELMUS, Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Bernburgi & Serveſtæ. An. 1695 d. 7. Decembr.

XXI. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus Dn. CHRISTIANUS SIGFRIDUS de PLESSEN, Dominus de Pariin & Höyckendorf, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, S. R. M. Conſiliarius Intimus & Præfecturæ Vordingburgenſis Gubernator. An. 1695. d. 7 Decembr.

XXII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. HENRICUS, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, Principali Dignitate Comes Hennebergicus, Comes Marcæ & Ravensbergæ, Dominus Ravenſteniæ. An. 1696 d. 19 Jan.

XXIII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. ALBERTUS ERNESTUS, Princeps Oettingenſis etc. An. 1698 d. 22 Jan.

XXIV. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. JOHANNES GEORGIUS, Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, nec non Superioris, Inferiorisq; Luſatiæ, Principali Dignitate Comes Hennebergicus, Comes Marcæ, Ravensbergæ, & Barby, Dominus Ravenſteniæ. An. 1698 d. 19. Sept.

XXV. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. AUGUSTUS WILHELMUS, Dux Brunſvicenſium & Luneburgenſium. An. 1699 d. 9 Auguſti.

XXVI. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS, Landgravius Haſſiæ, Princeps Hirſchfeldiæ, Comes Cattimelibocenſium, Diezenſium, Ziegenhainenſium, Niddanorum & Schaumburgenſium. An. 1700 d. 27 Maji.

XXVII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. JOHANNES AUGUSTUS, Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Serveſtæ & Bernburgi, Jeveriæ & Kniphauſen. An. 1701 d. 28 Octobr.

XXVIII. Serenisſimus Princeps ac Dominus Dn. FRIDERICUS WILHELMUS, Dux Mecklenburgenſis, Princeps Vandalorum, Sverini & Ratzeburgi, nec non Comes Sverinenſis, Terrarum Roſtochii & Stargardiæ Dominus. An. 1703 d. 28 Februarii.

XXIX. Illuſtrisſimus & Excellentisſimus Heros ac Dominus Dn. JACOBUS Baro de WASSENAER, Dominus de Opdam, Hensbroeck, Spierdück, Wochmeer, Zytwyck, Kernhem, Twickelo, Laege etc. Eqves Auratus Ordinis Elephantini, Eqveſtris Militiæ, nec non Copiarum Fœderati Belgii Præfectus Generalis, urbis Silvæ-Ducis ejusdemq;

di-

ditionis & arcium vicinarum Gubernator, Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorum Præses etc. An. 1703 d. 21 April.

XXX. Serenissimus Princeps ac Dominus Dn. CAROLUS RUDOLPHUS, Dux Wurtembergensis & Teccensis, S. R. Imperii Princeps, Comes Montisbelicardiensis & Dominus de Heidenheim. An. 1703. d. 27 April.

XXXI. Illustrissimus & Excellentissimus Heros ac Dominus Dn. CAROLUS Comes ab AHLEFELDT, Langeland & Rixingen, Dominus de Mörsburg, Eqves Auratus Ordinis Elephantini, Sacræ Regiæ Majestati à Consiliis Intimis & Cubiculis, nec non Supremus Stabuli Præfectus & in Collegio Commerciorum Præses. An. 1703 d. 27 Aprilis.

III.

Tenore Statutorum Regiorum duo sunt Ordinis Ministri, qvorum officii, conspicuæ dignitatis, splendidiq; habitus mentionem faciunt Articuli XL, XLI, XLVII. Hasce spartas hodie adornant

Perillustris ac Generosissimus Dn. MARTINUS BIERMAN de EHRENSCHILDT, Dominus de Enggaard, S.R.M. Consiliarius Status & justitiæ, nec non Ordinis Ceremoniarum Magister.

Perillustris ac Generosissimus Dn. VINCENTIUS LERCHE, Dominus de Lerchenfeldt, S.R.M. Consiliarius Status & Cancellariæ, nec non Ordinis Secretarius, Magister Ceremoniarum & Cubicularius.

Eorundem Insignia Gentilitia hanc habent faciem.



CAP. IV.

CAPUT XIV.

I. II. III. IV. Encomium Elephanti ob multas virtutes, nec non varia Heroicarum Virtutum Emblemata per Ordinis Elephantini tesseram Elephantum significata hic afferuntur. V. Applicatio instituitur ad Illustrissimos Ordinis Elephantini Eqvites. VI. Epilogus.

Sectio I.



Coronidis locô ad illustrandam Ordinis Elephantini gloriam, qvippe qvi Elephanti signô ac tesserâ semper inclaruit, brevissimè hic de Elephanti natura & virtutibus disserere libet ac lubet; qvantò enim magis cæteris animalibus Elephantus præstat, tantò majorem Illustrissimis Ordinis Elephantini Eqvitibus conciliat gloriam, ac indicium simul est hoc Elephantinum Insigne plurimarum insignium virtutum. Hieroglyphicè igitur per Elephantum adumbrantur plurimæ Eqvite Aurato dignissimæ virtutes.

Ob amorem enim rerum coelestium laudatur Elephas. Tradit *Ælianus Lib. 4, Cap. 30. Histor. Animal: Elephantos pietatis & reverentiæ erga coelestia signa magnam reddere speciem, dum reconditâ qvadam ratione ramos primùm ex sylva decerpunt, eósq; in sublime lunam versus movent, qvasi ad lunam supplices.* Videantur *Plinius Lib. VIII. Histor. Natur. Solinus & Pierius in Hieroglyphicis.* Hinc *Ursinus* Episcopus Tanensis symbolum suum habuit, conjunctis Elephanto & Luna; *Sic ardua peto,* teste *Jacobo Typotio.*

Amor patriæ Elephanto etiam tribuitur, refert enim *Ælianus Lib.* 10 *Cap.* 17 *Elephantum tanto patriæ amore duci, ut extra illam desideriô & moerore conficiatur, nec unqvam naturalis soli memoriam obscurari & evanescere posse.*

II.

Prudentia & sagacitate Elephas qvoq; gaudet. Hinc Elephantum a sensibus suis acutissimis commendat *Cicero* de Natura Deorum, & Elephanto nullam belluam prudentiorem esse asserit. *Aristoteles Lib. 9. Hist. Animal. Cap. 46* describit Elephantum, qvòd sit πάντων τῶν ἀγρίων τιθασσότατον καὶ ἡμερώτατον εὐαίσθητον καὶ συνέσει τῇ ἄλλῃ ὑπερβάλλον: *Philostratus* sic: τοῦτο γὰρ ζῶον δεύτερον ἀνθρώπου τάττω, κατὰ σύνεσίν τε καὶ βουλάς. Qvæ omnia sano sensu accepta potiùs tamen pro laude,

qvàm deſcriptione animalis habenda eſſe exiſtimo. *Plinius Lib.* 8 *Cap. I* aliqvantò latius progreditur, Verba ejus hæc ſunt: *Animalium maximum Elephas, proximumq́, humanis ſenſibus qvippe intellectus illi ſermonis patrii & imperiorum obedientia, officiorumq;, qvæ didicit, memoria: amoris & gloriæ voluptas, imò verò, qvæ in homine rara, probitas, prudentia, æqvitas, religio qvoq; ſiderum, ſolis & lunæ veneratio.* *Plinio* adſtipulatur *Lipſius Cent. I. Epiſt.* 25. *Dio Lib.* 4 *Cap.* 24. *Strabo Lib.* 4. Plinium ſimul & Lipſium hìc examinare non permittit inſtituti noſtri ratio: qvamvìs enim mores ac virtutes hujus belluæ partim a natura, partim ab inſtitutione admirabiles ſint, ut fidem ferè excedant; nonnulla tamen majora vero de Elephanto relata eſſe credo.

III.

Clementiam præbet Elephas inferioribus animalibus, Hinc *Ælianus Lib.* 7 *Cap.* 36. *Elephas nunqvam inſeqventibus ſe opponit, niſi aut filiorum ſuorum aut ægrotantium cauſſâ, pro his nimirum nihil non moliens inexpugnabilis manet.* De Elephanto aliàs produnt naturæ ſpeculatores, qvòd provocatus grave cum Dracone, Rhinocerote, & grandioribus animalibus aliis bellum gerat: erga debiliora ſit mitis adeò placidæq; naturæ, ut congregatim concurrentia proboſcide paulatim removeat ac ſegreget, ne forſitan imprudens eorum aliqvot proterat. Hinc numiſma caſtrenſe cuſum eſt annò 1553 a Philiberto Duce Sabaudiæ & Cæſarearum copiarum in obſidione Hesdini Præfecto, in cujus anteriore latere videre licet ejusdem Ducis effigiem, a poſteriore verò latere Elephantum cum variis agnis & minuſculis animalibus, non tamen ab Elephanto læſis, cum hac inſcriptione: *Infeſtus infeſtis:* Sic infeſtus infeſtis qvidem eſſe voluit hic Dux Celſisſimus; turpe tamen duxit lædere non lædentem, aut minores graviùs ulciſci injurias, teſte *Lukio in Sylloge Numismatum pag.* 159.

IV.

Fortitudine qvoq; pollet Elephas, tela enim & ſagittas, qvæ cuti inhærent, excutit. *Hinc Lucanus Lib.* 6.

Sic Lybicus denſis Elephas oppreſſus ab armis
Omne repercusſum ſqvalenti misſile tergo
Frangit, & hærentes motâ cute diſcutit haſtas,
Viſcera tuta latent penitus, citraq; cruorem
Confixâ ſtant tela ferâ, tot facta ſagittis
Tot jaculis unam non explent vulnera mortem.

Ita Eqveſtris Heros inſidias ac tela hoſtium non timet. Elephas in apertô campo vel bellò contra hoſtes nunqvam paveſcit, nec niſi a gra-

gravisſimo impetu ſuperatur. Unde Emblema apud *Picinellum Tom. I. pag. 372, vi parvâ non inflectitur.* Qvinimo ſagittæ impactæ Elephantum magis in hoſtem concitant.

V.

Has igitur Elephanti virtutes in Eqvitem Auratum optimè qvadrare manifeſtè ſatis eluceſcit. Qvid enim Auratum Illuſtrisſimi hujus Ordinis Eqvitem magis decet, qvàm pietas erga Deum, amor in patriam, patriæq; Patrem Regem Auguſtisſimum, cauta rerum gerendarum prudentia, benigna erga inferiores benevolentia, generoſa pro patriæ ſalute fortitudo? Et prolixiùs hìc qvidem agi poſſet de variis Elephanti virtutibus, aliisq; de Elephanto ſcitu dignisſimis; ſed lubens ſiléntq; ea hìc præterire brevitatis ergo conſultum duxi: neq; enim omnia, qvæ de Elephanto, ejusq; magnitudine, robore, uſu in bellis ac triumphis, inſignibus, monetis dici posſent, & ex antiqvitate varia ſimul illuſtrari, excutere hìc ſcopus eſt; ſed paucis ſolùm de Ordine Elephantino diſſerere, qvippe qvi ab Elephanti ſymbolo nomen ſortitus eſt. Amplisſimi tamen ac *Doctisſimi* Profeſſoris Lipſienſis *Johannis Cypriani* judicium in Continuatione Hiſtoriæ Animalium Wolfgangi Franzii editâ Lipſiæ 1688 hìc annectere lubet, qvippe qvi virtutes Elephanti ad Eqveſtrem Ordinem Elephantinum applicat, cujus hæc ſunt verba pag. 123. *Ad qvæ aliaq;*, inqvit, *virtutum in Elephantis ſimulachra Reges Daniæ reſpexiſſe volunt Franciſcus Mennenius Decanus Antverpienſis in Deliciis Eqveſtrium ſive militarium Ordinum pag. 144, Pontanus in Chorogr. Daniæ, Vosſius Lib. 3 de Idololatria Cap. 50, cum in memoriam profligatorum feliciter, ſub auſpiciis Gothofredi Bullionæi & Baldvino I Rege Hieroſolymitano, Saracenorum, Maurorum & Africanorum Elephanti imaginem ſuis ſubderent inſignibus & Ordini Eqvitum pro ſymbolo darent torqvem aureum ex Elephantis caſtella gerentibus & calcaribus, ſigno dignitatis Eqveſtris.* Appoſitè qvoq; & aptè ad inſtitutum hoc Eqveſtre illuſtrandum diſſerentem *Pontanum* in Chorogr. Dan. audire hìc convenit. *Nec mirum*, inqvit, *Elephantis ſymbolum a Regibus Daniæ huic Ordini cohoneſtando adſumptum, cum ſummis virtutibus hoc nobile animal ab antiqvis prædicetur, & qvod proximè ad naturam humanam accedat, fortitudine ſcilicet militari, prudentia & fulcro imperiorum, religionéq;, qvæ non niſi in hominem cadit, clementia Regia etc.* Teſtimonio Clarisſimi hujus Viri addam verba Summè Venerabilis ac Nobilisſimi Sælandiæ Epiſcopi *Doct. Henrici Bornemanni* in elegantisſimo Panegyrico, qvo Regi Auguſtisſimo gl. m. CHRISTIANO V natalem qvadrageſimum nonum anno 1695 die XV April. gratulatus eſt pag. 38 *Eqvidem peropportunè in duplici hoc Eqveſtri Ordine Elephantino nempe & Danebrogico ſuperbit & gloriatur Dania noſtra, cum Emblema qvoddam & imago felicis Reipublicæ & Regni in utroq; latet. Ad portanda qvippe cum robore geminata imperii pondera qvadrat pulchrè Elephas, cùm nulla belluarum,*

rum, teste Tullio, Elephanto sit prudentior, & Libycus, ut narrant historiæ, Elephas acutissimis sensibus & firmissimis viribus omnibus facilè armentis præstet. Convenienter etiam huic sententiæ, atq; in justam Elephanti simul & Ordinis Elephantini laudem loqvitur *Jacobus Stuers* in Tractatu, cui inscriptio est: *Les Empires du monde: Les Rois de Dannemarc ont donné le titre d' Elephant a cette Chevallerie, & en ont orné leurs armes, d' autant qve ces animaux semblent approcher le plus de la nature de l' homme, & reluire par maniere de dire en toutes vertus, comme de force militaire, de providence, de religion, de pieté, & de clemence Röyale, afin qve ceux, qvi en seroient honores, se souvenissent de s' avancer d' autant plus en la perfection de ces vertus sur ces animaux, qve la nature de l' homme est plus excellente, qve la leur.*

VI.

Serenissimis autem Nobilissimi ac Inclytissimi Ordinis Elephantini Sociis atq; Illustrissimis Eqvitibus, Purpuratisq; Satrapis, utpote fulgentissimis omnium Heroicarum virtutum luminibus, & Magnatibus omni laude majoribus perennem ac longævam prosperitatem, lætaq; gloriæ & salutis incrementa humillimè precari submissa hìc votorum summa est & finis.



Errata Typographica.

Pag. 7 lin. 38 pro *nueſtia* leg. *nueſtra.* Pag. 21 lin. 6 & 13 *Everwealt* leg. *Elverwelt.* Pag. 22 lin. 23 *qvæ* leg. *qvod.* Pag. 25 lin. ult. *Comitis* leg. *Domini.* Pag. 43 lin. 4 *rus* leg. *us.* Pag. 56 lin. 24 *ofterwards* leg. *afterward.* Pag. 61 lin. 15 *Sigillo* leg. *inſigni.* Pag. 64 lin. 28 גלאע leg. גלאץ. Pag. 66 lin. 43 *nagut vocabit* leg. *nage vocari.* Pag. 67 lin. 14 *inſeruerit* leg. *inſeruerint.* Pag. 67 lin 25 *Legioni* leg. *Legionis.* Pag. 68 lin. 4 *teſticatio* leg. *teſtificatio.* Pag. 74 lin. 44 *illos* leg. *illis,* Pag. 83 lin. 20 *Pietatæ* leg. *Pietate.* Pag. 96 lin. 21 *unicujusq;* leg. *uniuscujusq;.*

